








§ 1.

ARGVMENTA

Pro Immaculata CONCEPTIONE Beatæ MARIÆ Virginis, deducta

Ab A[illegible]ritate.

Multiplex Auctoritas est pro Purissima hac Conceptione: eam numeris distinguemus.

I.

Auctoritas Ecclesiæ Vniversalis.

Primò: Ecclesia celebrat Festum Conceptionis Beatæ Virginis. Sancta igitur est & Immaculata ejus Cōceptio.

Vis Consequētiæ patet: Tum quia sic S. Thomas 3. p. q. 27. a. 1. arguit: *Ecclesia Romana celebrat Nativitatem B. Virginis. Ergo Beata Virgo in sua Nativitate fuit Sancta.* Si ergo hæc Sancti

Thomæ conſequentia ex Feſto Nativitatis Marianæ deducta concludit; & noſtra à pari ex Feſto Conceptionis deducta concludet: Tum quia & alii S S. Patres ante Divum Thomã ex Eccleſiæ auctoritate celebrantis prædictũ Feſtum Nativitatis Marianæ inferunt certam Sanctitatem Virginis in ſua Nativitate. Nam S. Ildephonſus lib: de Parturitione & Virginit: DEIPARÆ ait: *Enim verò, ſi non beata eſſet, nequaquam tam feſtiva celebraretur ab univerſis: ſed quia tam ſolenniter colitur, conſtat ex auctoritate Eccleſiæ, quòd nullis, quando nata eſt, ſubiacuit delictis, nec contraxit in utero ſanctificata Originale peccatum.* Et S. Bernardus ep: 173 inquit: *Fuit procul dubio Mater Domini ante Sancta, quàm nata: nec fallitur omnino Eccleſia, Sanctum reputans ipſius Nativitatis diem.* Recta ergo, quia conformis SS. Patrum argumentationi Conſequentia à Feſto Conceptionis in Eccleſia ſolenni ad Conceptionis puritatem. Nam & hîc par eſt

Eccle-

Ecclesiæ auctoritas, quæ pro Nativitate Virginea tantoperè ex Patrum mente militat. Tum quia Ecclesia Nativitatem Joannis Baptistæ celebrat, quia Sanctam; nec illam alias celebraret. Ergo & Virgineã Conceptionem celebrat, quia Sanctam.

Secundò: Ecclesia Romana Conceptionem Beatæ Virginis vocat Sãctam, dum canit: *sentiant omnes tuum iuvamen, quicunque celebrant tuam Sanctã Conceptionem*. At Sancta Conceptio non esset, si peccato originali fuisset inquinata: Quis enim Sanctus, dum est in pecato mortali, quale etiam est originale? Imò *si in peccato esset*, (addit supra Ildephonsus) *iure maledicta potius & gemebunda diceretur, quàm benedicta & Sancta.*

Confirmatur: Et Conceptionem, & Nativitatem Virginis Sanctam vocat Ecclesia. Sed dum Nativitatem vocat Sanctam, intelligit eam fuisse immunem à peccato originali; ut etiã ex Patribus est indicatũ. Ergo etiam

dum Conceptionē illius vocat Sanctam, cēsenda est similiter immunis.

Rectè tamen notat Vasquez, quòd Ecclesia natam cum sanctitate B. M. Virginem, ceu dogma certum, & definitum profiteatur; cū sanctitate autem Conceptam, ceu dogma magis probabile, magisq; Pium agnoscat.

Confirmatur præterea: Eodem Officio Divino colit Ecclesia Nativitatē & Conceptionem Virgineā. Sancta igitur est utraque: alioquin non rite coleretur eodem Officio Sanctitas & peccatum.

Confirmatur denique: Ibidem Ecclesia vocat Gloriosæ Virginis Conceptionem dignissimam. at dignissima non esset, si dignior esse posset, esset autem dignior, si esset immaculata; Nempe talis dignior, & matre Dei, & Filio Altissimi magis congrua foret. Ergo.

Ad eandem auctoritatem Ecclesiæ adhuc pertinent duo sequentes numeri.

II.

Auctoritas Conciliorum pro Immaculata Conceptione B. V.

Primò: Concilium Tridentinum B. Virginem luculenter excipit à Decreto de peccato Originali, & ab illis generalibus Sacræ ſcripturæ Propoſitionibus, in quibus dicuntur omnes in Adam peccâſſe, omnes eſſe naturâ filii iræ. Ergo Pia ſententia eſt iuxta mentem Concilii, & univerſæ Eccleſiæ ibi congregatæ. Dicit enim Concilium hoc *Seſſ.* 1. *Declarat autem hæc Sancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis, cōprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem MARIAM Dei Genitricē.* Atqui hoc idem docet cenſetq; Pia ſententia. Cenſet igitur iuxta mentem Concilii.

Imò ex hoc loco Tridentini, non tantùm à peccato Originali, ſed à debito etiam proximo illius contrahēdi B. Virginem fuiſſe liberam colli-

gitur ſic : Tridentinum poſtquam ibi omnes alios homines & in peccato cõcipi ſeu naturâ filios iræ ; & omnes in Adamo peccâſſe, atque adeò trãſfuſas in eum fuiſſe omnium voluntates declaravit, & definivit; ab hoc utroque definitivo decreto eximit B. Virginem. Ergo non vult dici ac sẽtiri, transfuſam fuiſſe illius voluntatem in voluntatẽ Adami ; conſequẽter à debito proximo peccati illius vult eam fuiſſe immunem. Idem enim eſt ab hoc debito proximo fuiſſe immunem, & in pacto illo cum Adamo ac ejus voluntate incluſam non fuiſſe, ſeu in Adam non peccâſſe.

Secundò : Concilium Baſileenſe celebratum Anno Domini 1634 (quod tantùm ratione ſchiſmatis cõtra Põtificẽ Nicolaum V. non fuit approbatum quoad omnia , ut habet Bellarminus lib : de Conciliis) hoc, inquam, Concilium jam definiverat, communi Patrum ſuffragio, B. Virginem in ſua Conceptione fuiſſe im-

munem

munem à culpa Originali, ac ejusdē Conceptionis Festum in tota Ecclesia solenniter peragere mādârat Sess. 36. Ergo totius Ecclesiæ, quam Concilium repræsentat, sensus fuit, sine peccato Originali fuisse conceptam. Id quod etiam testatur Æneas Sylvius, qui fuit postea Pius II. Pontifex Maximus, in Commētariis Concilii Basileensis lib. 1 & 2. Quod argumentum tantò firmius est, quòd Gabriel Serm: de Conceptione; item Bernardinus de Bustos Serm. 8. testatur, quoad hoc punctum, de quo agimus, fuisse sententiam approbatam decimoquinto Kalendas Octobris, Anno 1439; quam determinationem sub plumbea signatura se Romæ vidisse idem Gabriel testatur.

Tertiò: Huc facit Concilii Francfordiēsis auctoritas celebrati sub Anno Domini 780, quod sic agit: *Meliore terrâ animatâ & immaculatâ* (Filius Dei) *Factus est Homo* dicēte Apostolo: *Primus homo de terra terrenus; Secundus*

Homo de cælo cœlestis. Vbi Concilium terræ nondum maledictæ, ex qua formatus primus Adam, præfert B. Virginem ceu terram animatam & immaculatam ac meliorem; imò quæ collata terræ nondum maledictæ, cælum sit potius, dicenda; tantùmque distet ab illa, quantum à terra distat cælum: ideò dictum est: Secundus de cælo cælestis; quod cælum immediatè dicitur terra melior, Virgo immaculata. Atqui non fuisset melior & immaculata, si maledicto Originali subjacuisset; cùm tamen terra, ex qua Adam formatus, non fuerit maledicta. Ergo.

III.

Auctoritas summorum Pontificum pro Immacul. Concept.

ROmani Pontifices Piam sententiam de Puritate Conceptûs Mariani constantissimè amplexi, magnis favoribus prosecuti, toti Ecclesiæ, tũ cultu Festi indicto, tum Bullis Pon-

tificiis tenendam suaserunt; tādemque oppositæ sententiæ silentium sub gravibus pœnis indixerunt. Quantū hinc Piæ sententiæ suffragium, quam solam vult retineri Sedes Apostolica, suoque judicio illam in praxi præfert ac præferēdam docet, vetādo doctrinam oppositam? Ostēdo id longâ inductione Nam

Primò: (Vt testatur Hippolytus Marratius in libro de Pontificibus Marianis, cum approbatione Reginaldi Lucarini Magistri Palatii Romæ edito) Adrianus IV. de Immaculata Conceptione librum conscripsit: at verò Innocentius VII. (qui vixit Anno Domini 1404) Joannem Montesonum, qui in cōcione ad populum asseruerat, Beatam Virginem in peccato Originali conceptam, urgente Parisiensi Academiâ ad palinodiam canendam coëgit: Alexander V. qui vixit Anno Domini 1400. ante Pōtificatum, Purissimam Virginis Conceptionem calamo defendit: de-

in Pontificatu pro eadem constitutionem Apostolicam edidit.

Secundò: Sixtus IV. Anno Domini 1476. tertio Kalendas Martii edidit Extravagãtem, quæ incipit: *Cùm præexcelsa*, in qua omnes fideles ad Festum Cõceptionis B. Virginis quotannis celebrandum hortatur, ad id magnis gratiarum largitionibus exacuens, ibidem honorificè sic præfatus: *Dignum, quin potiùs debitum, putamus, universos Christi fideles, ut omnipotẽti Deo de ipsius Immaculatæ Virginis mira Cõceptione gratias & laudes referant &c.*

Ibidem Pontifex hic approbavit Officiũ & Missam Leonardi de Noguerolis, in quibus DEIPARÆ immaculata Conceptio & à labe Originali præservatio disertissimè ponitur. Nam in primis vesperis ibi habetur: *Tota pulchra es, & macula Originalis non est in te.* Jam verò in secundis vesperis ibidem ponitur illud: *In qua nec nodus Originalis culpæ fuit* At verò in oratione ibi positum; *Vt sicut ex*

mer-

morte filii tui prævisa, eam ab omni labe præservâsti, &c.

Idem Sixtus IV. aliam Constitutionem edidit Anno Domini 1483. pridie Nonas Septembris, quæ incipit: *Grave nimis*, in qua pœnam excommunicationis statuit tum in eos, qui censurâ afficiunt sententiã *de Dei Genitrice ab Originalis peccati macula in sua Conceptione præservata*: tum in eos, *qui affirmare præsumerent Sanctam Romanam Ecclesiam de Spirituali duntaxat Conceptione & sanctificatione ejusdem Virginis gloriosæ festum celebrare.* Quam excommunicationem confirmat Tridentinum Sess. 1. ubi observandas esse cõstitutiones felicis recordationis Sixti IV. ait in decreto de peccato Originali.

Tertiò: Innocentius VIII. (qui vixit Anno 1492.) confirmavit Regulam Monialium sub Immaculatæ Cõceptionis titulo, quam postea Alexander VI. Julius, Leo X. probârunt, & pluribus privilegiis auxerũt.

In hac Religione Professionis formula hæc assignatur. *Ego N. ob amorem Domini nostri, & Immaculatæ Conceptionis eiusdem Genitricis voveo &c.* Et cap. 3. regulæ approbatæ ibidem dicitur, *B. Virginis Anima à creatione sua tota sancta.* Infra verò cap. 14. præcipitur ijsdẽ Monialibus recitatio Officii editi à Leonardo de Noguerolis supra citato, & per Sixtum IV. approbato in extravaganti, incipiente: *Cùm præexcelsa.*

Quartò: Adrianus VI. approbavit fundatam Toleti Confraternitatem in honorem Immaculatæ Conceptionis, in cujus legum capite 15. *Purissima Conceptio dicitur; & S. Annæ festum inducitur, in cuius ventre fuit Anima MARIÆ creata in maiori gratia, quàm Cherubim & Seraphim, qui cum natura gratiã acceperũt:* ut ibi dicitur sat magnificè.

Quintò: Leo X. in ejusdem Conceptionis honorem multa templa extruxit, & indulgentias contulit dicẽtibus Missam de Conceptione, ut habetur

betur in compendio Minorum, verbo, Indulgentia.

Sextò: Clemens VII. Immaculatæ Conceptionis Officium ſcriptũ à Frãciſco Quinnonio Cardinali, quod clarè Piam ſententiam de B. V. pura Conceptione exprimit, approbavit.

Septimò: Julius III. Paulus IV. cum Patribus Tridentinis noluerunt ſub lege communi de contrahenda labe Originali includere B. Virginẽ, & ſimul conſtitutiones Sixti IV. ſuperiùs indicatas hac de re innovârũt.

Octavò: Pius V. feſtum Conceptionis MARIANÆ toto orbe celebrare juſſit conſtitutione jncipiente: *Super ſpeculam*; ubi etiam idem Officium celebrare præcipit, quod in Nativitate B. Virginis, nomine tantùm Nativitatis in Conceptionis nomen immutato, idque ob conformitatem, cùm vix ulla fermè eſſet Diæceſis, quæ propriũ Officium de feſto Immaculatæ Concept: non haberet.

Nonò: Per Pium V. & Gregorium

um XIII damnatæ ſunt propoſitiones MichaelisBaij, inter quas eſt hæc: *Nemo præter Christum eſt abſque peccato Originali: hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractũ: omneſq; eius afflictiones in hac vita, ſicut & aliorum iuſtorum, fuerunt ultiones vel peccati actualis, vel Originalis.* Hucuſque Baij ſententia; quâ cum aliis ibidem poſitâ ejuſdem ſententiis, Pontifex in Bulla ſic decernit: *Quas quidem ſententias erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, impias, auribus offenſionem immittentes damnamus, abolemus.*

Decimò: Prohibitum à Paulo V. ſub excommunicatione Papæ reſervata, ne ullus auderet in publicis Concionibus, lectionibus, Concluſionibus,, & aliis quibuſvis actibus publicis aſſerere, quod Beata Virgo ſit concepta in peccato Originali.

Vndecimò: Gregorius XV. eandẽ prohibitionem extendit ad privata etiam colloquia, & ſcripta privata; ac ut contra tranſgreſſores tam Epiſcopi,

ſcopi, & Prælati ac Ordinarii locorum; quàm hæreticæ pravitatis Inquiſitores ubique procedant, & ſevere animadvertant. Idem præcipit ſuo Decreto omnibus & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis tam ſæcularibus, quàm cujuſvis Ordinis & Inſtituti Regularibus, ut in Miſſæ Sacrificio ac Divino Officio, tam publicè, quàm privatim non alio, quàm Conceptionis nomine uti debeant.

Duodecimò: Alexander VII. in Conſtitutione Anno Domini 1661. edita, die 8. Decembris, quæ incipit: *Solicitudo omnium Eccleſiarum*; poſt cõfirmatas tum Sixti IV. Pauli V. Gregorii XV. tum aliorum Pontificum hac de re conſtitutiones (verba jam dictæ ejuſdem cõſtitutionis tranſcribo) *Eos, qui Piam de Immaculata Conceptione ſententiam, Feſtum, ſeu cultum in diſputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè vel indirectè, aut ſub quovis prætextu ſeu occaſione, ſcripto ſeu voce, loqui, concionari, tractare, diſputare contra ea*

quid-

quidquam determinando, asserendo, aut argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo, & alio quovis modo excogitabili differendo, ausi fuerint; præter pœnas & Cẽsuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, concionandi, publicè legendi, seu docendi facultate, ac voce activâ & passivâ in quibuscunque lectionibus eo ipso privatos esse decernit, & ad concionandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipso facto incurrere; quas pœnas Romanis Pontificibus vult esse reservatas Insuper libros, in quibus Pia hæc sententia, Festum Conceptionis, seu cultus in dubium revocatur, aut contra ea quomodocunque aliquid scribitur aut legitur: seu locutiones, tractatus & disputationes contra ea cõtinentur, post Pauli V. decretum edita vel edenda, prohibet sub pœnis & Censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia declaratione, pro expresse prohitis haberi vult & mandat. Hæc de verbo ad verbum &c. dicta constitutione Alexandri VII.

Duodecimò: Clemens IX. Festum Conceptionis extulit ad ritum dupli-

cem

cem ſecundæ Claſſis per totã Eccleſiam; & cum Octava celebrandum conceſſit Societati JESV, per Breve editũ Anno 1667. ad inſtantiã Adm: Rev: Patris Joannis Pauli Oliva Præpoſiti Generalis ejuſdem Societatis; quod Octavæ privilegium aliàs conceſſum Hiſpaniæ, Poloniæ & aliis.

Decimoquartò: Innocentius XI ad inſtantiam Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi I. Officium parvum de Immacul. Virginis Cõceptione, (quod incipit: *Eia mea labia nunc annuntiate &c.*) approbavit, & quibuſdam pulchrius clariuſq; in hujus myſterij decus tum additis, tum immutatis edi permiſit, quæ adjecta ſunt Brevi Apoſtolico ad dictum Imperatorem miſſo 18. Decembris, Anno 1678 In hoc autẽ Officio creberrima eſt Puriſſimæ Cõceptionis inculcatio; clariſſima illa: *Te pulchrã ornavit ſponſam, quæ in Adam non peccavit.* Item *Tota pulchra es, & macula Originalis nunquam fuit in te.*

Denique, ut observavit Vincētius Justinianus ex Ordine Prædicatorum vir eximius, Omnes post Sixtum IV. Romani Pontifices, Piæ sententiæ de Immaculata Conceptione adstipulati. Pius III. Marcellus II. Vrbanus VII. morte præventi, antequam Pium testarentur affectum erga Immaculatè conceptam Virginem. Nimirum Pius III tantùm dies 26. in Pōtificatu sedit: Marcellus II. tantùm 22 dies; Vrbanus VII. tantùm dies duodecim Ecclesiæ præfuêre, maturè satis erepti. Vrbanus VIII. in toto Imperio solenniter Festum Conceptionis coli præcepit.

Ex dictis

INfertur primo cum Valentia, Bellarmino, Suarez, Vasquez, Salazar, Ægidio de Præsentatione, aliisq;, jam definitū esse in Ecclesia. magis probabilem, magis Piam, tutamque doctrinam esse, quæ B. Virginem sine peccato Originali Conceptam statuit:

it: Quia summi Pontifices cultū Purissimæ ejus Cōceptionis toti Ecclesiæ indixerunt Festo indicto, & Indulgentiis concessis, approbatis Officiis Sāctitatem hujus Conceptionis luculenter asserentibus, aliisque modis Piam sentētiam approbârunt; & insuper silentium in publicis & privatis congressibus oppositæ sententiæ imposuerunt: Quomodo autem ad talia sese abripi sinerent Pontifices Romani minús probabili, minùsque tutâ sententia? Hinc sunt, qui cum Granado, Gundisalvo, Lucero, aliisque Piam sententiā certam & evidētem moraliter cēsent: Tum quia talis Romanorum Pontificū sensus videtur moraliter nō posse non esse verus: Tum quia Papa in celebratione festorum aberrare nequit; ut patet ex Epistola Decretal: & ex Divo Thoma 2. 2. q. 93. a 1. ad 3. Tum quia ex communi Theologorum, in Canonizatione Sanctorum non potest errare Pontifex, in qua etiam declarat

 cultum

cultum & venerationem Sanctorum celebrandum. Ergo & hîc, ubi cultum Conceptionis indicit Hinc

Infertur secundò cum Ludovico Turriano, Piam sententiam ita esse veram, ut non possit à parte rei esse falsa. Ita habet in 2. 2 d. 56. dub. 5. Ratio illius est: Quia cum Papa definit dogma esse magis probabile in materia ad mores vel ad fidem spectante, errare nequit: nam ad DEI providentiam spectat, ut illa doctrina, quam præfert Pontifex, & Vniversali Ecclesiæ amplectendam ceu probabiliorē proponit, non sit à parte rei falsa. Alias magnum detrimētum posset sequi in Ecclesia: omnes enim amplecterentur eam sentētiam ob auctoritatem Pontificis, & putarēt veram, ac ejus probabilitas in dies cresceret; proinde tota Ecclesia, inquit ille, falleretur, quod nullâ ratione est admittendum.

IV.

Auctoritas SS. Patrum.

SAncti Patres omnibus pænè sæculis (ut patebit ex afferendis eorũ textib⁹) idẽ senserũt quod Pia sententia de Conceptione B. Virginis asserit. Ergo meritò id asserit; adeoque doctrina hæc est Patrum sentẽtiæ cõformis. Ad probationẽ antecedẽtis, clara inprimis proferam Patrum testimonia; deinde alia, quæ Piæ sẽtentiæ favere videntur.

Clara Sanctorum Patrum testimonia de Immacul. Concep. B. V.

PRimò sæculo Christi vixit Thesiphon discipulus S. Iacobi Apostoli; cujus liber Granatæ in Antro Montis Sancti repertus habet hanc Divi Iacobi Apostoli sententiam: *MARIAM non tetigit primum peccatum.* Ibidem agit ab Apostolis sic decretum esse: *illa Virgo, illa MARIA, illa Sancta præservata fuit à peccato Originali, & libera ab omni culpa.* Quid clarius?

S. Andreæ Apostoli morti jam proximi vulgatissimum est apud complures Auctores dictum; quod sequitur: *Sicut primus Adam formatus fuit ex terra, antequam esset maledicta; ita secundus formatus est ex terra Virgine nūquā maledicta.*

Origenes (uti ex eo citat Breviarium Romanum Quignonii Cardinalis in tertia lectione de Cōceptione) sic ait: *Beata Virgo MARIA neque serpentis persuasione fuit decepta, neque eius venenosis afflatibus infecta.*

S. Cyprianus. orat: de Nativitate sic inquit: *Beata Virgo plurimùm à cæteris differens, naturâ communicabat, non culpâ.*

Dionysius Alexandrinus confirmat idem dicens: *Vna & sola filia vitæ; alij naturâ filij iræ.* Habet id in præfatione Epistolæ adversus Paulum Samosatenum; quæ est in tomo 2. Auctarii Bibliothecæ veterum Patrum.

S. Ambrosius (teste Clichtovæo, Hilareto, Bernardino de Bustos) dixit *DEIPARAM esse Virgam, in qua nec nodus Originalis, nec cortex uenialis culpæ fuit.*

S. An-

S. Augustinus lib: de natura & Gratia inquit: *Exceptâ Sanctâ Virgine MARIA, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere quæstionem volo: inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Idem Augustinus lib: de Symboli expositione clarissimè inquit: *Qui venerat abolere malum Originale, quod trahimus omnes; conveniens erat, ut lege peccati nostri, quod per duorum concubitum verificatur in prole, Dei Mater non teneretur obnoxia.* Habentur hæc in melliloqu. Augustini, verbo MARIA.

Adhuc idem libro de 5. hæresibus c. 5 ait: *Mater est mea, Sed manu fabricata est meâ. Si potui inquinari, cùm facerem, potui ex ea inquinari, cùm ex ea nascerer.* Id est, non potui inquinari, cùm eam conderem, quia talem cõdidi, qualẽ eam esse decebat, ex qua nasciturus essem.

Basilius Seleucus de Annuntiat. inquit: *Quid dulcius? quid salubrius, quam de B. Virgine loqui? Hæc est, quæ fuit in utero Matris absque Originali peccato concepta & generata.*

Cyrillus Alexandrinus lib: 6. in Joann: c.5. citatur ab aliquibus, ubi ait: *Omnes homines, excepto illo, qui de Virgine natus est, & Sanctissima etiam Virgine, ex qua Deus homo prodiit in mundum, exceptâ, cum peccato Originali nascimur.* Etsi hæc verba nonnemo tribuit Iodoco Clichtovæo docto Theologo & Canonico Carnotensi.

S. Fulgentius serm. de duplici Christi natura ait: *In primi hominis conjuge nequitia diaboli seductam depravavit mentem: in secũdi Hominis Matre, gratia Dei & mentem servavit integram & carnem. Et serm:* de laudibus MARIÆ: cùm dixit *Gratiâ plenam*, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ.

S. Ildephonsus lib: de Virginit. MARIÆ disertè inquit: *Constat illam ab omni peccato Originali fuisse immunem, per*

quam

quam non solùm maledictio Matris Evæ soluta est, verum & benedictio omnibus condonatur. Item: *Nullis quando nata est, subiacuit delictis; nec contraxit, in utero sanctificata, Originale peccatum.*

S. Ioannes Damascenus oratione de dormitione B. Virginis ait: *Hodierno die Edem, Spiritualem novi Adami Paradisum suscipit, in quo condemnatio abrogata: etenim ad hunc Paradisum serpens aditum non habuit.*

Idiota vir sapientissimus (qui floruit ante Annum 1000.) in contēplat: de Virgine DEIPARA c. 3. ait: *Tota pulchra es non in parte, sed in toto, & macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive Originalis non est in te, nec unquam fuit, ô præbenedicta, combenedicta, postbenedicta. Et cap.* 6. ait: *Fuit in te ab Originis labe præservatio.*

Petrus Damiani serm; de Assumpt. inquit: *Caro Virginis ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit.*

S. Anselmus epist. ad Episcopos Angliæ expressè tradidit Purissimā Vir-

ginis Conceptionem, festumque illius colere suasit. Hinc eum Centuriatores carpunt Centuriâ 11. cap. 4. 8. quod omnes in peccato esse mortuos, exceptâ Dei Genitrice, asserat. Idem Sanctus de excellentia Virginis inquit: *Angelos aliis peccantibus, à peccato servavit; & Matrem suam ab aliorũ peccato exsortem servare non potuit?*

Rupertus ad illa verba Cãticorum: *Quàm pulchri sunt gressus tui, filia Principis!* sic ait: *Idcirco ancillæ, nempe Evæ calcaneum, à serpente admorsum; Tu verò, ô filia Principis, probè calceata serpentis caput contrivisti.*

Bernardus serm: 4. super Salve, ait ad Virginem: *Innocens fuisti ab Originalibus & actualibus peccatis: nemo ita præter te.*

Idem serm: 13. de Cæna Domini inquit: *Non est in filiis hominum magnus vel parvus, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter Matrem Immaculati peccatum non facientis.* Et in epist. ad Canonicos Lugdunenses, si quod con-

trarium dixit, addidit in fine, ſe hæc omnia ſubiicere judicio Romanæ Eccleſiæ, paratum ſentire, quò illa inclinarit; ut nunc inclinat potiùs in Piam ſententiam.

Hugo Victorinus in Eruditionis Theologicæ Miſcellan. lib. 2 tit. 125. de decem præconiis Virginis ſic aſſerit: *Immunem ſe* (Domina noſtra) *in Conceptu oſtendit ab illo præſcripto Prophetico*: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me Mater mea.

S. Bonaventura ſerm 2. de B. Virgine ait: *Domina noſtra plena fuit gratiâ præveniente in ſua ſanctificatione, gratiâ ſcilicet præſervativâ contra fœditatem Originalis culpæ, quam contraxiſſet ex corruptione naturæ, niſi ſpeciali gratiâ præſervata præventaque fuiſſet.*

S. Fulbertus Carnotenſis, cujus linguam ſacro igne correptã ſuo lacte B. Virgo ſanavit, in Salutationẽ Angelicam ſcribens ait; *Electa inſignis inter filias, quæ Immaculata ſemper extitiſti ab exordio tuæ Creationis.* S. Lan-

S Laurentius Iustinianus lib de perfectionis gradìbus ait: *Ab Originali delicto nullus excipitur, præter illam, quæ genuit mundi Salvatorem.* *Et serm*: de Annuntiat. inquit idem: *Ab ipsa sui Conceptione in benedictionibus præventa est dulcedinis, atque à damnationis aliena Chirographo.*

S. Bernardus Sēnensis to. 1. serm. 51. de salutatione Angelica ait. *B Virginem à triplici væ Originalis, Actualis & Venialis culpæ alienam fuisse.*

S. Bruno serm. de Nativit. Virginis inquit: *Hæc linea incipit ab Eva, & desinit in MARIAM: in principio est mors, in fine vita consistit, mors per Evam facta est, vita per MARIAM reddita est: illa à diabolo victa est, hæc diabolum ligavit ac vicit.*

B. Ioannes Capistranus scripsit tractatum de Pura Virginis Conceptione, in quo uberrimè de eadem ait.

Alia PP. testimonia ex quibus Colligitur Immacul. Concept. B. V.

IN Liturgia S. Jacobi Apostoli vocatur

eatur B. Virgo *Immaculata, semper beata, omnibus modis irreprehensa.* Atquomodo semper beata fuisset, si sub maledicto & miseria primigenii peccati unquam fuisset? quomodo omnibus modis irreprehensa, in quam caderet prima humani generis reprehensio & damnationis reatus?

S. Dionysius Areopagita epist. ad S. Paulum vocat *B Virginem Deiformem, & super omnes Cælicos Spiritus Sanctissimam.* At illi purissimi semper & in prima sui creatione fuerunt; & tunc ergò illa Sanctior. Item S. Epiphanius eandem Virginem, solo Deo excepto, *omnibus superiorem dicit naturâ, formosiorem ipsis Cherubim & Seraphim, atque omni exercitu Angelorum.* At si Angeli sine ullo unquã peccato, illa in peccato vel per instans; quomodo par Angelis, nedum superior?.

S. Athanasius to:3 serm: de B. Virgine, sic eam alloquitur: *Deo nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnemque gratiam largienti.* At quomodo omnem

mnem gratiam, ſi Gratia Præſervans à peccato, reatum damnationis & hoſtilitatem cum Deo inducente illi negata fuiſſet?

S. Hieronymus in Pſalm: 77 ſic ait: *B. Virgo pulchrè dicitur nubes diei, quia nō fuit in tenebris, ſed ſemper in luce.* Idem epiſt de Aſſumpt ait: *deo Immaculata, quia in nullo corrupta.* At ſi corruptelam Evæ ſenſit, quomodo hæc ſubſiſtent?

S. Cyrillus Alexandrinus citatus in Breviario Romano Quingonii Cardinalis, in tertia lectione ſic inquit: *Poſt Filium temerarium eſt, in MARIA Virgine ponere culpam aliquam aut peccatum.* At in filio, cui hic adjungitur Mariana Puritas; nulla fuit culpa actualis & Originalis.

S. Chryſoſtomus in ſua Liturgia vocat B. Virginem *Immaculatam, ſemper beatiſſimam, penitus incontaminatam Matrem Dei noſtri, honoratiorem Cherubim, & glorioſiorē incomparabiliter Seraphim.* At ſi rea fuiſſet peccati Originalis; quomodo

modo Immaculata? quomodo penitùs incontaminata? aut honoratior, quàm Cherubim fuisset?

Chrysologus serm: de Annunt ait: *Neque auferat à Ioseph Virginem, sed reddat Christo, cui est in utero pignorata, cum fieret* At quæ tunc pignoratio vel desponsatio illius Christo facta, nisi per gratiam, cùm primò cōderetur Virgo, seu cùm fieret?

S. Eligius Homil. 2 in die Purificat. inquit; *Nunquam immunda iudicatur, quæ Spiritu Sancto obumbrante totius munditiæ & Sanctitatis Auctorem genuisse comprobatur.* Si nunquam immunda; nec inConceptione ob eandem causam, id est, ob Auctorem omnis munditiæ ex illa generandum.

Paulinus Aquileiensis Episcopus lib: 3 contra Felicem ait: *MARIA eiusdē nobiscum naturæ, sed non eiusdē gratiæ.* Si autem non habuisset Originalem justitiam, sed communem, quæ à peccato contracto expiat animam; certè ejusdē fuisset & naturæ, & gratiæ.

Richar-

Richardus Vict rinus in Cātica ait: *Tota fuit pulchra, quam totam possedit gratia; quia nullum in ea locum habuit peccatum: totam illustravit sol iustitiæ, ut nec maculam habuerit, nec tenebras culpæ.* Certè & hæc perpetuam Virginis intemeratæ Sanctitatem confirmant.

S. Antonius de Padua Domin. 3. in Quadragesima sic habet: *B. MARIA præ cæteris citiùs & altius in Dei amore fuit radicata.* Et alii in utero sanctificati, sed illa citius, si in primo instanti Conceptionis.

Omitto alios Patrum textus, nam 60. P P. numerat pro Pia sententia Poza aliiq; id tantum assero, quod omnes omninò Patres si nunc viverēt, & Ecclesiæ universalis tantam inclinationem in Piam sententiam viderent, eidem acquiescerent. Quæ ad auctoritatem SS. Patrū huc attinent, § 3 quæst. 2. vide; & ut videas, interest.

Aucto-

V.

Auctoritas S. Thomæ Doctoris Angelici.

SAnctum Thomam B. Virginis immunitatem à peccato Originali asseruisse multimodis probatur.

Primò: ex plerisque ejus textibus, iisque apertissimis. Nam in 1. sent: dist. 44. q. 1. a 3. ad 3. sic ait. *Puritas intenditur per recessum à contrario: & ideò potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nullâ contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit Puritas Beatissimæ Virginis, quæ à peccato Originali & actuali immunis fuit.*

Item opusculo 8. de expositione salutationis Angelicæ inquit: *MARIA fuit, quantum ad omnem culpam: quia nec Originale, nec mortale peccatum incurrit.* Id scripsisse S. Thomam testatur Vincentius Iustinianus Ordinis Prædicatorum, tract: de Immaculata Conceptione. Et confirmat idem

Turrecremata, Salmeron in epist. ad Romanos. d. 51.

Adhuc idem Doctor Angelicus in Epistolā ad Galatas. v 6. juxta impressionē Parisiensem Anni 1532. & Anni 1541 ac impressionē Venetā Anni 1555 sic dicit: *Non inveni mulierē, præter Virginē Mariam, quæ à peccato Originali immunis esset.* Quid unquam clarius?

Idem confirmat Sanctus Doctor in expositione Psalmi 18 ultimis vitæ annis scripta. Ergo asseruit, quod asserit Pia sētētia. Hinc nō pauci existimant, locū 3. p. q. 27. a 2. esse suppositum: tum quia non est censendum, quod pugnantia docuerit Sanctus Doctor, sibique contradixerit: tum quia in Bibliotheca Don Beltrani de Guevara Archiepiscopi Compostellani est vetustissimum exēplar Sancti Thomæ sine hoc articulo: Tum quia ordo Articulorum ibi est præposterus. Nam artic. 1. quæritur: An fuerit Sanctificata ante Nativitatem: Artic. 2. An ante animationē?

Tum

Tum quia hoc articulo videtur esse contrapositio : nam prioribus verbis dicit tolerari consuetudinem celebrãdi Conceptionẽ, posterius ait, nõ celebrari Cõceptionẽ: sed Sanctificationem : Tum quia locus ille clarissimus ex expositione epistolæ ad Galatas annis supra expositis iuxta editionem Parisiensem & Venetam sincerus, postea in editione Antverpiensi Anni 1592. vitiatus est, & sententia tam clara ibidem truncata, teste Hippolyto Marratio in fide Cajetana.

Præterea locus ex 1. 2. q. 81. a. 3. ubi dicitur. *Secundùm fidem Catholicam firmiter esse tenendum, quod omnes homines ex Adam descendentes, solo Christo excepto, peccatum Originale contrahant.* Hic, inquam, locus si presse accipiatur, esset & contra Tridentinum Concilium, quod non vult esse de fide oppositum de B. Virgine, quam includere decreto de peccato Originali, negat suæ esse intentionis : Esset & contra decreta summorum Pontifi-

cum, ſub gravibus pænis prohibenti-
ūm notam hæreſeos inſpergere Piæ
ſentētiæ de Immaculata Virginis Cō-
ceptione: Eſſet & contra ipſummet
S. Thomam, qui, ut paulò ante attu-
limus, docuit immunitatem Maria-
nam à peccato Originali. Vel ergo
locus ille ſubreptitius eſt; cùm ſit in-
credibile, quod S. Doctor voluerit
hæreſeos notare ſententiam à ſe Pa-
riſiis in libros ſententiarum traditā;
& inſuper, quia cenſura hæc ab ea la-
ta non ſtat cum dicto 3. p. q. 27. a. 2.
ubi celebritatem Conceptionis ait
non eſſe reprobādam. Vel certè ex-
plicandus erit S. Doctor, loqui de
jure, non de facto; ſeu loqui ſecun-
dùm legem communem, non præter
eandem & per privilegium gratiæ:
aut ſaltem ut explicat Cajetanus,
de debito peccati contrahendi, non
de peccato actu contracto. Et juxta
hos modos ſe ipſe S. Thomas expli-
cuit, cùm (ut tradit Bernardinus de
Buſtos ſerm. 7. de Conceptione) Fā-
tino

tino Episcopo Patavino legenti tertiam partem summæ Angelicæ, & sententiam in ea Conceptionis puritati oppositam admirāti apparuisset, dixissetque: *Scias Fantine, quod, quando talem opinionem posui, solùm habui respectū ad divinum statutum, quo B. Virgo peccatum Originale contraheret, nisi per filium suum fuisset præservata.* Quod ipsum cēset Pia sententia.

Secundò: S. Thomam non fuisse oppositum immunitati B. Virginis á culpa Originali patet ex his, quæ operosè scripsit P. Nicolaus Cichovius nostræ Societatis, vindicando Angelicum Doctorē à sententia opposita Purissimæ Conceptioni Virgineæ; ubi post allatum locum in primum librum sententiarum, & alia Principia S. Doctoris, ex quibus infertur Puritas Conceptionis

Docet primò tempore S. Thomæ alium fuisse statum quæstionis de Cōceptione B. Virginis, quàm nunc. Nempe quæsitum tunc: An ex vi Originis

 riginis

riginis, & naturæ ſuæ propagationis fuerit Concepta ſine peccato Originali, & ſanctificata ante animationẽ, ut habet Alenſis & S. Bonaventura, & S. Th. 3. p. q 27. a. 2. Nunc verò quæritur : An B. Virgo in prima ſui animatione, fuerit per gratiam Chriſti præſervata ab Originali ?

Docet ſecundò : aliud eſſe in ſententia S. Thomæ ac illius ævi, Concipi ſine Originali peccato : aliud, ab eo præſervari. Concipi ſine Originali, dicebat juſtitiam à prole acceptam vi Originis & principiorum naturalium ad eam activè concurrentium, infuſionem gratiæ exigentium ex certarum diſpoſitionum connaturali diſpoſitione, prout fuiſſet transfuſa in poſteros Adæ, ſi non peccâſſet. Præſervatio autẽ ab Originali dicit gratiam in primò inſtanti animationis ob merita Chriſti infuſam, quâ fieret, ne infectio peccati Originalis in carne initiata, in animam & perſonam devolveret maculam.

Docet

Docet tertiò: ex S. Thoma, *peccatum Originale esse infectivum carnis* (qu. 4. de malo a. 3.) *ex hoc autem carnem inſici, quod per cōcupiſcentiam generatur* (ut habet 3. p. q. 13. a. 7.) *per carnem verò infectam idem peccatum derivari ad animam, quæ inficitur ex unione ad corpus, ut ait* S. Doctor q. 4. de malo, a. 3. ad 1. Quare peccatum Originale dicit eſſe initiativè in carne, conſummativè & eſſentialiter in anima, adeoque refundi à carne infecta, Originalem maculam in animam & perſonam, niſi per gratiam anima præſervetur, vel unione Hypoſtatica præmuniatur.

Docet quartò: quod S. Thomas tantùm neget B. Virginem ſanctificatā eſſe ante animationem. Quia ſi ante animationem fuiſſet Sancta, nunquam incurriſſet maculam, nec eguiſſet, ut ille infert, Redemptore. Fuiſſet enim ante caro illius ab omni infectione munda, & ſic anima mūdæ carni infunderetur, ac ſine auxilio

gratiæ immunis foret à peccato Originali, nec illi obnoxia: Jam verò (ut ait idem S. Doctor in 2. d. 31. a. 2.) *Ille, qui non est peccato obnoxius, Redemptione non indiget.* Et 3. p. q. 27. a. 2. ait *tolli indigentiam Redemptionis per hoc, si proles concepta quoquo modo esset sanctificata ante animationem; quia non esset culpæ obnoxia.* Vnde ibidē B. Virginem ait *sāctificatam post animationem*, sed non ante animationē, nec antequam infunderetur anima in corpus, sed dum infunderetur, seu cùm verū esset dicere, animatur: vel animari incipit, quod utique verum fuit primo instanti animationis.

Docet quintò: Nullibi S. Thomam negare B. Virginem à peccato Originali præservatam in prima animatione per gratiam Christi: tum quia jam ratio illius proximè allata non valeret, quasi sic non eguisset Redēptore: tum quia 3. p. q. 32. a. 4. ad 1. dicit Spiritus Sanctus purgans Virginem, id est, præservans. Tum quia sic

ſic facilè poſſunt concordari alia loca S. Doctoris aſſerentia immunitatem Marianam à peccato Originali, cum aliis locis, in quibus oppoſitum dici videtur: nempe dicendo, quod ibi aſſerit prædictam immunitatem, intelligat de præſervatione per gratiam ex meritis Chriſti: ubi autem negat eandem immunitatem, debeat intelligi de Sanctificatione ante animationem, ſeu de negatione immunitatis à peccato, quatenus infectivo carnis & naturæ, ac excluſivo Sanctitatis per Originem transfuſæ, conſequenter excludente obnoxietatem peccato, ac per hoc indigentiã Redemptoris. Vnde cùm ait Conceptam in Originali, tantùm loquitur de peccato quatenus infectivo carnis, cum obnoxietate transfundẽdæ in animam & perſonam maculæ, niſi fuiſſet per gratiam præmunita: ſeu loquitur tunc de peccati Originalis labe ſumpta initiativè, & ſecundùm ea, quæ animationem præ-

veniunt; non essentialiter & consũmatiuè sumptâ labe, seu quatenus esset infectiva animæ & personæ, per gratiam Christi præservatæ. Ex his ergo concluditur, Piæ sententiæ tutoribus nostræ ætatis non fuisse contrarium Doctorem Angelicum, & id tantùm ab eo damnari, ut erroneum (ait rectè Poza) quod per sequelam infert illam: *Alioqui non omnes indigerent redemptione, quæ est per Christum, quod est erroneum* Non ergo ait esse erroneum, qui affirmet alium præter Christum Originali labe caruisse; sed eum, qui dicat aliquem hominem fuisse, qui non eguerit redemptione: quod hic nemo asserit de B. Virgine. vide in fine hùjus libelli quæstionem tertiam.

VI.

Auctoritas Theologorum.

OMnium pænè linguæ & calami Theologorum Immaculatam Deiparæ Conceptionem tuentur; qui

qui consensus doctissimorum virorũ Piam sententiam extollit ac commendat. Quid enim malim sentire, quàm quod præter Ecclesiæ universalis & Patrum Auctoritatem, Doctorum ingenia certatim approbant, & sequuntur? Nimirũ, ut rectè Antonius Deza Complutensis Doctor ait; *Universa Theologia ad honorem Christi eiusque Matris destinatur: proinde eæ opiniones promptius amplectendæ, quæ cum maiori pietate & honore Virginis & Filij consentiunt.* Ita ille. Proferam sola nomina hujusmodi scriptorum, quæ & alii referunt.

Primus sit Petrus Lombardus Magister sententiarum, in 3 dist. 3. § 3. qui floruit Anno Dni. 1145.

Petrus Comestor frater Magistri sententiarum scripsit libellum de Pura Conceptione Virginis.

Joannes Duns Scotus maximus fuit Immaculatæ Conceptionis vindex; seu (ut ait Ludovicus Manganellis) primus gladium exemit pro Puritate

hujus

hujus Cõceptionis. Refert Pelbartus l. 2. Stellarii p. 1- art. 3. Scotum circa Annum 1346 à facultate Theologica Parisiensi accersitum esse, ut suæ sententiæ de Immac: Conceptione rationem redderet: cumque ducenta illi argumenta objecta fuissent, omnia memoriâ tenuisse, & singulis tantâ verborum & sententiarum ubertate satis fecisse, ut omnes in suã sententiam traxerit, victor ab omnibus proclamatus.

Eandem Conceptionis Sanctitatẽ in Virgine asseruerunt Petrus Blesensis: Alexander Alensis: Honorius Augustodunensis: Raymundus Lullus. Gabriel Biel: Major: Richardus de media villa; Aureolus Franciscus de Magron: Occam: Lyranus: Paulus Venetus: Augustus Anconitanus: Landulphus Neopolitanus: Hugo de Castro novo: Joannes Vitalis: Robertus Linconiensis: Petrus Aliacẽsis Cardinalis: Nicolaus Cusanus Cardinalis: Thomas de Argentinas

Augu-

Augustinianus: Henricus de Hassia, & Fridericus Nausea Carthusiani: Joannes de Basilea: Abulensis: Panormitanus: Abbas Tritemius opusculũ de Immac: Concept. scripsit, ejusque sentẽtiæ adhæserunt Vniversitates, Parisiensis, Coloniensis, Tubimgẽsis, totus ordo PP. Carmelitarum, Antistites & omnis ferè Clerus Germaniæ, & Principes multi, virique docti cõplures, teste Poza: scripsit & Joannes Bassolis: Joannes Bacon, Michael de Bononia, Franciscus Martini, Carmelitæ: Leonardus de Neguerolis: Bernardinus de Bustos: Pelbartus: Petrus de Aquila: Dionysius Carthusianus: Henricus Harpius: Marsilius: Jacobus de Valentia Episcopus: Adrianus Finus: Robertus Guagninus: Baptista Mantuanus: Franciscus Lichetus: Jacobus Almainus Parisiensis Doctor: Joannes Ekius: Franciscus Titelmanus: Jodocus Cichtivæus: Thomas Illyricus: Franciscus de Osuna: Mi-

chael

chael de Palacios: Viguerius: Tarta-retus: Nicolaus de Orbellis: S. Thomas de Villa nova: Mussus: Hilaretus. &c. &c. &c.

His accedit tota Societas JESV, duce suo S. Ignatio, qui tum in libello Illustrationum Immaculatam Cōceptionem asseruit: tum statuit, ne in Societate nostra minùs piè ullus opinaretur in hoc mysterio; tum ipsemet cum S. Francisco Xaverio & Sociis in Academia Parisiensi ante confirmatam Societatem jurejurando sese obstrinxit ad tutelam Immaculatæ Conceptionis.

Ex eadem Societate Jacobus Lainius validè inprimis idem mysterium asseruit in Concilio Tridentino, ubi dum pro Immaculata Virginis Conceptione per tres horas circiter peroràsset, & sentētiam hanc validissimis argumentis còmprobâsset; statim exceptionem illam B. Virginis à decreto de peccato Originali Patres Concilii unanimi consensu addendā censuêre:

fuêre: dicentem verò pro causa Mariana Lainium quartana febris in eũ diem incidens deseruit; ut testatur Ribadeneira, aliique passim. Adfuit eidem Concilio Tridẽtino, sedis Apostolicæ nutu & Alphonsus Salmeron assertor ejusdem Conceptionis Purissimæ.

Juvat addere saltem aliquorum è Societate nomina de Sanctitate Cõceptionis hujus, ingenii lucubrationibus merita.

In his sunt Bellarminus, Franciscus Turrianus, Petrus Canisius: Benedictus Pererius. Sebastianus Barradius: Cornelius à lapide: Franciscus Suarez: Gabriel Vasquez: Gregorius de Valẽtia: Jacobus Granado, qui suâ ætate, quinquaginta tres ex Societate nostra testatur scripsisse de Immaculata B Virginis Conceptione: item Joannes Fernandius: Henriquez: & omnes Societatis Theologi ac Philosophi. uti & Lorinus: Pineda: de castro: Acosta: Ribadene-

ira : Mangotius : Spinellus : Morales: Salas: Salazar: Velasquez: Scherlogus : Mendoza : Baeza : Naxera : Pintus: Mazarinus : Brunus de Ponte Costerus : Cichovius : denique, ut paucis cōplectar, tota Societas JESV Immaculatæ Conceptionis cultrix & zelatrix semper studiosissima. Certè Alphonsus Rodriquez eximiæ Sanctitatis (teste Nadasi, Tausch & aliis) inter cæteras causas institutæ Societatis JESV, dixit se cælitus accepisse à B. Virgine, etiam ideò institutam, ut Immaculatam ejus Conceptionem tueretur & promoveret : quod ille dicebat cum ea vehementia Spiritûs, quâ nihil aliud.

Specialis Auctoritas Theologorum & aliorum scriptorum ex Sanctissimo ac sapientissimo Prædicatorum Ordine.

Primò : S. Dominicus in libello de Sacramento Corporis Christi, quem contra Albigenses hæreticos rescripsit,

psit, sententiam illam S. Andreæ Apostoli ad verbum usurpavit: *Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine nunquam maledicta formatus; ita decuit in secundo Adam fieri, id est, Christo; cuius terra, id est, Mater Virgo nunquam fuit maledicta.* Quem libellum ter in flammas injectum, illæsum evasisse testatur Vincentius Bellovacensis in speculo Histor. lib. 25. c. 90. & S. Antonius 3. p. tit. 17. c. 1. § 4.

Secundò: S. Thomas Doctor Angelicus, cujus auctoritas posita & defensa numero proximè antecedente.

Tertiò: S. Vincentius Ferrerius ejusdē Ordinis decus serm. 2. de Nativit. ait: *Non credatur, quia fuerit, sicut in nobis, qui in peccatis concipimur: sed statim, atque fuit anima (Virginis) creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in cœlo fecerunt Festum Conceptionis.*

Quartò: B. Albertus Magnus lib: de MARIÆ laudibus ait: *Hæc Virgo sola à communi illa regula excipitur, omnes*

in Adam peccaverunt. Refert hæc verba Canisius lib: 1. cap: 27.

Quintò: B. Pius V. ex hoc Ordine in Pontificatum assumptus vetuit erroris arguere Piam Sententiam, & Festum Conceptionis in Ecclesia cõfirmavit constitutione, quæ incipit: *Super speculam.*

Sextò: Hugo Cardinalis ex eodem Ordine in caput 10. Lucæ ait: *Immunem se in Conceptu ostendit ab illo præscripto Prophetico: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.*

Septimò: Heruæus Natalis Ordinis hujus Generalis Magister in epist. 2. ad Corinth. c. 5. ait: *Omnes mortui sunt in peccatis, nemine excepto, demptâ Matre Dei, sive in Originalibus, sive voluntate additis* Vixit Anno Domini 1320.

Octavò: Bartholomæus Pisanus *Puram B. Virginis Conceptionem affirmat* tractatu de Virgine DEIPARA.

Nonò: Joannes Taulerus ejusdem Ordinis, docuit idem serm. de Purificat: vixit A. 1350. *Deci-*

Decimò: Asseruit Immaculatã Cõceptionem B. Virginis Holcot ex eodem Ordine in 3. dist. 3. Et in librum Sapientiæ.

Vndecimò: Ambrosius Catherinus scripsit gravem tractatum de Pura Virginis Conceptione, illamque docuit in Genesim cap. 3. & opusculo de peccato Originali.

Duodecimò: Guilelmus Pipinus insignis ejusdem Ordinis Ecclesiastes scripsit elegantem sermonem de Puritate Conceptionis, vixit circa Annum 1500.

Decimo tertiò: Dominicus Soto lib: de natura & Gratia cap. 7. docuit immaculatã Conceptionem B. Virginis.

Decimo quartò: Vincentius Justinianus ex eodem Ordine, fatetur omnes Pontifices à Sixto IV. fauisse Piæ sententiæ; & ipse scripsit tractatum de Immaculata Conceptione, ubi eandẽ docuisse S. Thomam testatur.

Decimo quintò: Joannes Veri Pari-

ſiis Theologiæ Magiſter, Conceptionem B. Virginis Puriſſimam ex Academiæ ſententia aſſeruit publicè Anno 1499.

Decimo ſexto: Sanctius Porta ejuſdem Ordinis in Mariali, & ſerm. de Conceptione Piam ſententiam profitetur.

Decimo ſeptimò: Petrus Dore ex eodem Ordine Pariſienſis Doctor in libro Gallico, qui Imago, ſeu Idea virtutis inſcribitur, Piæ ſententiæ adhæret, vixit circa Annum 1500.

Decimo octavò: Hugo de Prato florido docuit Puram Deiparæ Conceptionem cum Pia ſententia, ſerm. de Annunt.

Decimo nonò · Mathias Aquarius ejuſdem Ordinis in almo ſtudio Neopolitano Regius & publicus Metaphyſicus, in lib. 3. ſentent. diſt. 3. ait pulcherrimè & doctiſſimè.

Opinio, quæ tenet Beatiſſimam Dei Genitricem ab omni Originalis peccati contagio fuiſſe penitus præſervatam, eſt magis Pia,

devo-

devotioni populi accommodata, & conformis rationi naturali: Quia Deus agens est perfectum: Et Morali; quia Deus magis inclinatur ad amandum, quàm odiendum: Et Politicæ; quia Deus est Legislator, & sic respectu Dei Matris potuit dispensare in lege: Et Theologicæ; quia Deus instituit Circumcisionem, & tamen eam suspendit in deserto; & quia producit effectum sibi gratum; Puritas autem suæ Matris est sibi gratissima. Ergo præservavit eam ab omni macula. Hactenus ille. Mitto alios, qui idem sine scripto senserunt & sentiunt in eodem Illustrissimo ac doctissimo Ordine.

VII.

Auctoritas celeberrimarum in Europa Academiarum.

CONfirmat Piam de Conceptionis Marianæ Puritate sententiam etiam doctissimarum in Orbe Christiano Academiarum consensus: quæ jurejurando etiam se obstringunt ad

tuendam eandem Immaculatam Cō-ceptionem.

Inprimis circa Annum 1346. Theologica facultas Academiæ Parisiensis decrevit, ne opposita Immaculatæ Conceptioni sententia in Scholis relegi posset. Ibidem decretum, ut nullus Doctoris gradum capesseret, qui ejusdem Immaculatæ Conceptionis defensionem juramento non appromitteret. Insuper Festo Conceptionis quotannis celebrando eadem facultas se obstringit, quod tunc alicubi tātùm celebrabatur, sed nondū in tota Ecclesia, nisi ab An. 1475 sub Sixto IV. Quæ omnia de Academia, ex Paulo Veneto colliguntur, tract. de Pura Concept.

Secundò: circa Annū Domini 1451. Academia Coloniensis sancivit, neminem deinceps ad gradum Magisterii promovendum, nisi juramento se obstringeret, se adversam Immaculatæ Conceptioni sententiam nec animo retenturum, nec quovis modo

appro-

approbaturũ: ut habet Surius in Cõment: rerum in orbe geſtarum. Circa Annum item 1494 agente Rectore Academiæ Colonienſis, Wigandus opinionem ſuam contrariam Immac. Conceptioni abjuravit.

Tertiò: Anno Domini 1510 Academia Moguntina Immaculatæ Conceptionis defenſionem juravit, ſtatuens, ut promovendi ad gradus Academicos idem jurarent.

Paulò poſt idem in Hiſpania juramentum præſtari cæpit in Academiis Valentina & Viſaonenſi. &c. Idẽ juramentum præſtatur in celeberrimis Academiis Viennenſi, Pragenſi, Vilnenſi, & aliis Societatis JESV Vniverſitatibus. Certè ex eodem zelo pro Puriſſima hac Conceptione, Viennenſis Academia iterum approbavit & recudit ſententiam R. P. Nicolai Cichovii, de S. Thomæ Doctoris Angelici ſenſu Puritati Conceptionis conformi, de quo ſupra retuli.

Sic doctissima tot Academiarum ingenia militant Immaculatè Conceptæ Virgini Matri scientiarum Dominæ.

VIII.

Auctoritas ex antiquitate Festi Conceptionis B. V.

MItto, quod supra attuli ex Sancto Vincentio Ferrerio, Festũ Conceptionis primos in cælo celebrasse Angelos in prima creatione B. MARIÆ Gratiâ sanctificãte præventæ; hîc agendum de antiquitate festi in terris.

Primò ergo aliqui ad Apostolorũ tempora hanc celebritatem reducũt: quod colligunt ex partitione Festorũ B. Virginis Syriaca, á S Marco facta; qui singulis ejus festis tribuens Lectiones, Epistolas & Evangelia, præter alia festa B. Virginis, inscripsit: Lectio in festo DeiParæ MARIÆ; quo putant festum Conceptionis intelligi ob sufficientem enumerationem ali-

orum ejus festorum. Quod verò ibi non inveniatur Festum Nativitatis B. Virginis, non mirum esse ajunt, cùm hoc festum serius celebrari cæperit; etsi hæc conjectura ab aliis refutetur.

Secundò Alii, in Hispania festum Conceptionis Dei Genitricis autumant cæpisse á prædicatione S. Jacobi Apostoli. Id verò probant uberrimè; inprimis ex Flavio Dextro (qui floruit Anno Domini 392) qui sic ait in suo Chronico: *A Iacobi prædicatione celebratur in Hispania festum Immaculatæ & Illibatæ Dei Genitricis MARIÆ.*

Probant idem ex Isidoro, qui circa Annum Domini 630. vixit, & in Missali Mixtarabico, quod jussu Cōcilii Toletani quarti reformavit, in Præfatione hæc verba posuit: *Dignum & iustum est Omnipotens Pater, tibi in honorem Conceptionis gloriosæ Virginis MARIÆ &c.* Et infra: *Cùm multiplex illa Angelorum legio, cæteraque Sanctorum omnium, Virginum Martyrumque concio,*

ſive terreſtris Beatorum multitudo in hoc Conceptionis glorioſæ Virginis feſto non ceſſant clamare. Vnde colligunt feſti hujus celebritatem ad illa tempora Iſidori non interpolatim à temporibus S. Jacobi Apoſtoli deductam.

Probant idem ex Marco Maximo, Hiſtorico & Poeta, qui ex Benedictino fuit Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus ſub Annum Domini 600. imperante Heraclio, & Siſebuto Hiſpaniæ Rege, qui in Hymno de apparitione B. Virginis S. Jacobo facta Cæſarauguſtæ, & feſto Conceptionis ab Apoſtoli hujus temporibus deducto ſic canit.

Oſtendit illi ſe hilarem,
Suoque natalitio
Conceptionis aureæ,
Templo manent encomia.
Conceptionis hinc diem
Iacobus Hiſpanos docet,
Et prædicat, ceu cæteri,
Ab omni labe liberam.

Hinc mos habet principiū
Hunc celebrandi jugiter
Populis Iberis diem,
Qui durat usque hodie.

Tertiò: Alii festi hujus antiquitatem colligunt inde, quod putent in Hieronymi Martyrologio Cōceptionem vel ab ipso Hieronymo scriptam, vel Eusebio Cæsariensi: nā alteruter ex his putatur esse auctor Martyrologii Romani. Certè Hieronymi Martyrologiū se vidisse testatur Calixtus II. qui vixit Anno 1119 & Petrus Episcopus Exquilinus. Alii idem deducunt ex Bedæ Martyrologio & Vsuardi, quod temporibus Caroli Magni cōscriptum. in utroque autem Martyrologio legitur festum Conceptionis. Si quis dicat posteriori ætate id Martyrologio adjectum, & ista Ecclesiæ auctoritas in suffragium Piæ sententiæ trahi debet.

Quartò: Certum est apud Græcos pridem id festum celebrari cæptum: tum quia in Monologio Græcorum

eſt poſitum, quod Menologium ſcripſiſſe S Joannem Damaſcenum teſtatur Galatinus, Boccius, Vaſquez, Caniſius. vixit autem Damaſcenus circa Annū Domini 720 Tum quia exſtat Leonis Imperatoris, qui dictus eſt Philoſophus, ſermo de Conceptione B. Virginis, qui Orienti imperavit circa Annum 886. item Georgii Nicomedienſis oratio de eadē Conceptione, qvi eodem ſæculo vixit: Tum quia exſtat Conſtitutio Emmanuelis Imperatoris, in qua nono die Decembris jubet *peragi Conceptionem Caſtiſſimæ Matris Dei noſtri*. Vixit verò Emmanuel per Annum ſalutis 1143 Galatinus cenſet ante mille Annos celebraſſe Græcos id feſtum 9. Decembris ita habet l. 7. de arcanis Catholicæ veritatis c 5.

Quintò: Apud Latinos feſtum Cōceptionis cæpit ab Anno Domini 840 Nam S. Anſelmus ſcribit de hoc feſto celebrādo ſexto idus Decembris, factam revelationem Helſimo Abbati

bati Rhemensis Cænobii, tempore Caroli Regis Francorum. Regnârũt autem apud Francos ante Anselmũ quinque hoc nomine insigniti; nimirum Carolus Martellus Anno Domini 320 Carolus Magnus Anno 800 Carolus Calvus Anno 840. Carolus Crassus Anno 885. Carolus Simplex Anno 892. Porrò tempore Caroli Magni, consequenter & Caroli Martelli in Ecclesia Latina tantùm abest, ut Conceptionis festum tunc ageretur, ut Nativitatis etiam Marianæ solennitas necdum celebrari cæpta fuisset, quæ tamen prius coli cæpit. Restat ergo, ut aliquem è tribus aliis dictis Carolis intelligat Anselmus, sub quo post dictam revelationem cæpit celebrari Conceptio; quo etiam tempore vixit Idiota, qui Conceptionis Immac. meminit.

Apud Anglos idem festum floruisse haud dubium sub Anselmo revelationis illius cõscio, eodemque Archiepiscopo Cantuariensi, Concepti-

onis Purissimæ eximio Assertore, qui floruit Anno Domini 1080. In Galliis ante Anselmum id festũ celebratum fuisse luculenter probat Salazar. Multo magis id floruit tempore Divi Bernardi, ut patet ex ejusdem epistola ad Canonicos Lugdunenses hoc festum celebrantes, estque hæc epistola de hoc ipso festo. Apud Hispános, etsi superius indicârim, festum id ad tempora Jacobi Apostoli revocari, tamen aliqui ad tempora Gundisalvi Archiepiscopi Tolosani, ut ait Palbertus, vel Toletani, ut vult Tritemius, referunt; cui, ut habet Officium Bernardini de Bustos (approbatũ à Sixto IV speciali Bulla, quæ incipit: *Dilecte Fili*) cælitus indicta festi hujus celebratio.

Ex dictis colligitur festi Conceptionis antiquitas in Ecclesiis particularibus, quod tandem Ecclesia Vniversalis Constitutionibus Pontificiis, & usu ac consuetudine approbavit. Nõ est certè præsumendum, quod Dei

pro-

providentia tam longo tempore vellet quoad cultum hujus festi tam antiquum & constantem in errore Catholica regna versari. Et quamvis particulares Ecclesiæ in aliquo aberrare possint; tamen Vniversalis Ecclesia earum errorem in rebus ad fidem vel mores spectantibus approbare nequit; ut Magistra fidei morũque, & columna veritatis. Quia verò sententia Ecclesiarum particularium de Immaculata Conceptione luculentissimè approbavit, & venerationem ejusdem festi; hinc ætatum priorum religio, & Pia per hoc sententia gravissimè comprobatur.

IX.

Auctoritas ex Revelationibus approbatis, & fide dignis.

OMnia in Immaculatæ Conceptionis Virgineæ testimonium conspirant; nec fide dignissimæ Revelationes desunt, quas refero.

Primò. Primum locum obtineant Reve-

Revelationes, quas S. Anſelmus in epiſtola ad Epiſcopos Angliæ refert. de qua epiſtola, ne dubium ſuboriatur, teſtatur de illa Gerſon ſerm. de Cōcept. qui vixit Anno Domini 1430 Paludanus in 3 diſt. 3. qui vixit Anno 1330 Capreolus in 3. diſt. 3. qui vixit Anno 1410 Henricus Gandavenſis quodlibeto 25. q. 23. qui vixit Anno 1340. Thomas de Argentin. in 3. diſt. 3. qui floruit Anno 1350. Item nullus è Theologis de iſtius Epiſtolæ auctoritate dubitavit, ut ait Salazar c. 35. de Immac. Conceptione. Accedit major conſenſus Breviariorum antiquorum, quæ lectiones in matutinis ex prædicta Anſelmi Epiſtola deprompſerunt. Eandem Epiſtolam admittit Thomas Bazius lib. 9. de ſignis Eccleſiæ. c. 8. & Baronius in Notis Martyrologii Romani. Denique hujus Epiſtolæ meminit Concilium Cantuarienſe Anno 1320 celebratum. vixit autem S. Anſelmus (quod & ſupra memini) Anno 1081. tēpore Vrbani II. Pōtificis. Hic

Hic ergo in Epistola sua ad Angliæ Episcopos triplicem revelationem & miraculum describit, quod festo Cōceptionis initium dederit.

Primum narrat his verbis: *Conceptio venerandæ Dei Genitricis, perpetuæ Virginis MARIÆ, dilectissimi fratres, quemadmodū per multa signorū experimēta in Anglia & in Francia, cæterisque climatib⁹ mūdi celebrāda sit declarata, me narrante, audiat dilectio vestra. Tempore namque illo, quo Diuinæ placuit pietati Anglorum gentem de malis suis corrigere, Nortmānorū Duci Gulielmo eandem debellando subegit, qui totius Ecclesiæ honores in melius reformavit. Audientes Dacy Anglicam subiectam esse Nortmānis, arma parant, ut eos à data sibi divinitus Patria expellant. Hoc comperto Gulielmus Helsimum Abbatem Remensis Cænobij in Daciam direxit, ut inquireret huius rei veritatem. Ille regis negotiū executus, in Angliam reverti cupiens, mare ingreditur, ubi subito horrida tempestas mare commovit. Fatigatis iam nautis, fractis remis, & ruptis funibus, omnes de salu-*

te corporis desperabundi, animarum salutem Creatori suo commendabant, & Beatissimam Virginem Dei Genitricem, miserorum refugium, & desperatorum spem devotissimè reclamabant. Et ecce subito conspiciunt quemdam Pontificali infulâ decoratum, quasi inter medias undas navi proximum; qui vocans ad se Helsimum Abbatem, his verbis eum alloquitur: vis (inquit) *periculum maris evadere? vis in patriam sanus redire? Cumque ille id cum fletu se desiderare respõderet: scias me* (alter inquit) *ad te à Domina nostra Dei Genitrice directum esse, ad quam dulciter reclamâsti: &, si dictis meis obtemperare volueris, sanus cum tuis comitibus evades. Ille spondet se ei in omnibus obtemperaturum. Promitte,* inquit ille, *Deo & mihi, quod diem Conceptionis & Creationis Matris Domini nostri IESV Christi solenniter celebrabis, & celebrandum prædicabis.* At ille ait: *Et quis dies in hoc festo celebrandus erit? Sexto Idus Decembris,* ait, *hoc festum solennizandum tenebis. Et quo,* inquit Abbas, *Officio utemur in Ecclesiastico obsequio? Omne,* inquit, *Officium,*

quod

quod dicitur in eius Nativitate, dicetur in eius Conceptione: excepto, quod nomen Nativitatis mutabis in nomen Conceptionis. His dictis ille disparuit, & citò sedatâ tempestate Abbas incolumis concito statu applicuit littoribus maris Anglicani; & quod viderat, & audierat, notificavit. Statuit autem idẽ festum in Remensiensi Cœnobio celebrari; & ipse, quoad vixit, devotis obsequiis celebravit. Et nos igitur, fratres dilectissimi, si portum salutis volumus apprehendere, Dei Genitricis Conceptionem dignis obsequiis & officiis celebremus, ut ab eius Filio dignâ mercede remuneremur. Hactenus S. Anselmus.

Post hæc statim subinfert secundũ miraculum ac revelationem his verbis: *Tempore Caroli Regis Francorum Clericus quidam Hungariæ Regis germanus, Matrem IESV toto corde diligens, eius horas sollicitus decantabat. Parentum autem consilio nubere volens, acceptâ à Presbytero nuptiali benedictione, recordatus, quod Beatissimæ Virginis Horas illâ die iuxta morem non cantavit, sponsam domum mittens, o-*

mnes ab Ecclesia abire coegit, & ipse iuxta altare Virginis solus remansit. Cumque horas Dominicæ Matris decantaret, & hanc Antiphonam diceret: Pulchra es & decora, filia Ierusalem; subitò ei apparuit Virgo MARIA cum duobus Angelis dexteram ei & lævam manum tenentibus, dicens ei: si ego sum pulchra & decora; quid est, quòd dimittis me, & sponsam aliam accipis? nunquid ego non pulchrior? Cui ille stupefactus ait: Domina mea dulcissima, claritudo tua omnem mūdi pulchritudinem excellit; quoniam tu es super choros Angelorū exaltata. Quid vis, Domina, ut faciam, ait illa: *Si Sponsam mei amore dimiseris, me sponsam in cœlesti regno habebis: & si Conceptionis meæ festum annuatim Sexto Idus Decembris celebraveris, & celebrandum prædicaveris, mecum in regno Filij mei laureatus eris. His dictis B. Virgo disparuit: Clericus verò domum abire renuit, & absque parentum suorum consilio, ad Abbatiam quandam extra Patriam perrexit, & ibidem Monachali habitu decoratus est; & post tempus exiguum Aquilegiæ Patriarcha factus, Festum Conce-*

ptionis

ptionis die præfato, quamdiu vixit, annuatim cum propriis Octavis diligenter celebravit, & celebrandum prædicavit. Hæc omnia S. Anselmus.

Tertium deinde subdit ibidē quod hîc subiicio: *In pelago Gallico* (inquit) *Canonicus quidam Sacerdos, solitus B. Virginis Horas decantare, à villa rediens, ubi fornicatus fuerat, rediens ad oppidum, in quo morabatur, & pelagus Sequanæ transmeare cupiens, solus navim ingressus, Dominicæ Matris Horas navigando canere cæpit. Cumq; invitatorium, Ave MARIA gratiâ plena, Dominus tecum, diceret, & iam in medio fluminis esset; ecce turba magna dæmonum in profundo pelagi unà cum eius naviculа eum præcipitavit, & eius animam rapuit ad tormenta. Die autem tertiâ ad locum quo dæmones eum tormentis afficiebāt, venit Mater IESV cum magna Angelorum Societate, dicens eis: Vt quid animam famuli nostri ita affligitis? cui illi: Nos eam debemus habere; & meritò, quia in operibus nostris capta est. Quibus Mater IESV: Si illius debet esse, cuius opera faciebat; ergo*

nostra debet esse, quoniam Matutinas nostras, dum eum peremistis, decantabat. Unde magis rei estis, qui iniquè contra me egistis. His dictis, dæmones huc & illuc dispersi fugerũt, & B. Virgo reduxit animam ad corpus, & hominem ab utroque funere suscitatum per brachium arripiens, ad portum, incolumem perduxit. At ille gaudens, pedibus B. Virginis prostratus ait: Charissima mea Domina & Virgo Christo gratissima, quid tibi retribuam pro tantis beneficiis. Liberasti me de ore leonis, & de tormentis gravissimis animam meam. Cui Mater IESV ait, Precor, ne de cætero in adulterij peccatum cadas; ne fiat tibi novissimus error peior priore. Precor iterum, ut de cætero festum Conceptionis meæ devotè celebres annuatim Sexto Idus Decembris, & ubique celebrandum prædices. Mox ut ea dixit B. Virgo, eo cernente cælos ascendit: & ipse eremiticam vitam ducens, quod sibi acciderat, narravit; & quamdiu vixit, festum Conceptionis solenniter & devotè celebravit, & celebrandum prædicavit. Hæc omnia ex S. Anselmo Præsule dignissimo. Habẽtur

tur ex ejus epiſtola hæc excerpta in antiquioribus Breviariis, nempe Carthaginenſi, edito ſub Annum Domini 1484: Placentino, edito ſub Annū 1500: Vicenſi, edito ſub Annum 1520: alii adhuc referunt Breviarium Hiſpalenſe, Cordubenſe, & Segovienſe: quæ omnia teſtantur de hac epiſtola Anſelmi, ex qua hæc miracula & revelationes excerptæ, & à Theologis in ſuas lucubrationes conjectæ, fidem omnino merentur, qualis tanto Antiſtiti omni exceptione majori debetur.

Secundò: Poſt Anſelmum Præſulē Sanctiſſimum, adduco Divinis revelationibus illuſtrem Divam Brigittā, cujus revelationes ſunt recognitæ à Gregorio II. & Vrbano V. Bonifacio IX. Martino V. ab iiſque approbatæ & laudatæ. Floruit hæc Sancta ante Annum Domini 1400. Hæc Marianæ Conceptionis Puritati ac innocentiæ teſtimonium luculētum præbuit. Nam lib. 5. Revelationum cap.

4. ſic ait de B. Virgine: *MARIA de radice Adæ proceſſit, & de peccatoribus nata eſt, licet ſine peccato concepta, ut Filius Dei de ea ſine peccato naſceretur.*

Item lib. 6. Revelat. cap. 49 eadem Sancta B. Virginem ſic loquentē inducit: *Veritas eſt, quòd ego Concepta fui ſine peccato Originali, & non in peccato.*

Et infra eadem B. Virgo ſic loquitur: c. 155. *Conceptio mea non omnibus nota fuit; & placuit Deo, quòd amici ſui piè dubitarent de Conceptione mea, & quilibet oſtenderet Zelum ſuum, donec veritas clareſceret tempore præordinato.* Ibidem dicit: *Hora, in qua ego cōcepta fui, bene poteſt vocari aurea hora, &c.*

En ut omnia conſonant Piæ ſententiæ, & cælitus roborantur? Fuit etiam huic tempeſtati affinis S. Elizabetha Hungariæ Regina, quæ, ut ait Palbartus lib. 4. Stellarii, par: 1. art: 3. de Pura Virginis Conceptione cælitus per revelationem edocta eſt.

Aucto-

X.

Auctoritas Sacræ Scripturæ.

HAnc quidem ante omnes afferre decuit; sed illi malui præmittere alias auctoritates luculẽtas. Quòd verò & illa Piam sententiam non semel innuat, hîc ostendo.

Primus Locus est Genes. 3. ubi dicitur serpenti deceptori Evæ: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem: & ipsa conteret caput tuum.* Hunc locum passim Patres & alii Doctores intelligũt de B. Virgine. Nam, ut citat Bernardinus de Bustos in Officio de Pura Conceptione (quod approbavit Sixtus IV. per Bullam incipientem: *Dilecte Fili*) Augustinus in Genesim ait in hunc modum: *Cùm subiectio peccati Originalis caput sit diaboli; tale caput MARIA contrivit, quia nulla peccati subiectio ingressum habuit in animam Virginis, & ideò ab omni macula immunis fuit.* Item Petrus Blessensis, serm. 1. de Adventu sic habet, & locum prædictum ca-

pit de B. Virgine : *Benedictionem attulit MARIÆ Angelus dicens, Ave benedicta inter mulieres, id est, sola robusta inter molles (Molior enim à mollitie dicitur, quasi Mollier) hæc est illa Mulier fortis, in cujus fortitudine dictum est diabolo : ipsa conteret caput tuum.* Similiter locũ hunc accepit de B. Virgine Bernardus Homilia secunda super Missus est &c dicens : *Ipsa caput contrivit venenatum, quæ omnimodam serpentis suggestionem ad nihilum redegit.* Locus ergo prædictus ex Genesi, accedente auctoritate Patrum, & illâ clarissimâ Augustini, militat pro Immaculata Conceptione : nec incongruè peccatum Originale per caput serpentis juxta Doctores intelligitur, quod nempe peccatum, aliorum caput est, & Origine trahitur. Illud item : *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, satis indicat, talem mulierem serpenti inimicam fuisse, proinde ejus venenato suasui non acquievisse in Adam.

Secundus Locus est ad Roman. : 5. ubi

ubi post doctrinam de peccato Originali Paulus inquit: *Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donum in gratia unius Hominis IESU Christi in plures abundavit.* Hic dicitur in plures homines redundasse gratia Christi, quam redundârit delictum Adæ Ergo in aliquem non redundavit delictum Adæ. De nullo autem sic convenit consensus Ecclesiæ, ut vidimus; Patrum item & Doctorũ, præter B. Virginem & Christum. In illam igitur non redũdavit delictum Adæ, sed tantum Gratia Christi.

Tertius Locus est 1. Corint. 15. *Primus homo de terra terrenus: secundus de cælo cælestis.* Vbi S. Paulus discrimen inter Adamum & Christum Dominum constituens, docet Matrem illius fuisse terram; hujus autem Matrem fuisse quodammodo cælum: non quod Christus de cælo sit formatus, ut Adam de terra vera; cùm omnino habuerit corpus humanum è terrena

mole concretum; sed quòd formatus sit è purissima Virginis substantia, quæ cælum, expers utique omnis maledictionis, cui terra subjacuit, suâ puritate referebat. Sic ferè exponit Rupertus lib: 1. in c. 1: Math. Et Sancti Patres passim B. Virginem cælum appellant. Sic Epiphanius serm. de laudibus Virginis ait; *Anna cælum & Thronum Cherubicum peperit, sāctam puellam M A R I A M.* Et Sanctus Methodius Orat. in Hypapante, eandem *cælum vocat eius, qui loco non potest comprehendi.* & alii.

Quartus Locus est ad Hebr: 9. ubi dicitur *Christus per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id est non huius creationis introisse &c.* Vbi Velasquez de Immac: Concept: Disp: 1. annot. 3. Deiparam vult intelligi per illud *tabernaculum non huius Creationis*, id est, non unam ex Adæ & Evæ posteris communis noxæ contagio infectis; sed opus novæ creationis, cui nil commune sit cum istis creaturis

ex Adam & Eva deſcendentibus, ſive quoad pactum & debitum, ſive quoad ipſam legis-transgreſſionem. Certè ſpecialem quandam creationẽ B. Virgini attribuit Eccleſia, de illa canens: *Ab initio & ante ſæcula creata ſum:* Item: *Tunc præcepit & dixit mihi Creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Non ſuffecerat dixiſſe, Creator omnium, ut illa etiam creata intelligeretur; ſed præter omnes, qui creati, illa creata dicitur: *Creator omnium, & qui creavit me.* Nẽpe non hujus creationis fuit, cujus alii omnes Adæ poſteri, Originali labe in prima ſui infecti creatione.

Quintus locus eſt Cant. 4. *Tota pulchra es, & macula non eſt in te.* quem locum Sixtus IV. in approbatione Officii Divini de Conceptione per Extravagantem incipientem, *Cùm præexcelſa*, ad negandam maculam Originalem in B. Virgine accommodat: ibi enim in primis Veſperis eſt illud: *Tota pulchra es, & macula Originalis non eſt in te.* Item

Item plerique Patres hunc locum ita capiunt de B. Virgine, ut ab ea maculam Originalem hîc excludant. sic Idiota c. 3. contemplat. de Virgine DEIPARA ait: *Tota pulchra es in tua Conceptione? ad hoc solum effecta, ut esses templum Dei Altissimi: tota pulchra es, non in parte, sed in toto, & macula peccati sive Venialis, sive Originalis, non est in te, nec unquam fuit.* Sic & Richardus Victorinus inquit: *Tota fuit pulchra; quia totam possedit gratia, quia nullum in ea locũ habuit peccatum.*

Præterea Patres per maculam intelligunt peccatum Originale, dum explicant de Ecclesia locum prædictum ex Canticis, ut & Paulus ad Ephes: 1. Ecclesiam dicit non habentẽ maculam, quod eam Christus mundârit lavacro in verbo vitæ scilicet per baptismum institutum contra Originale. Ergo B. Virgo, quæ hic dicitur tota pulchra & macula, non esse in illa, caruit Originali, quod macula dicitur in scriptura.

Sextus Locus eſt Prov. 8. *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum.* Quæ verba Eccleſia tribuit B. Virgini. Et legit in Conceptionis B. Virginis Feſto. Atſi Dominus poſſedit eam ab initio, certè in poſſeſſionem Virginis captandam prævenit diabolum, qui in Conceptione hominum per culpam traducis, poſſeſſionē hominum capit. Abſit autem ut vel ad momētū diabolo priùs permiſſa fuerit poſſeſſio Divinæ Parentis.

Mitto alios complures locos ſcripturæ; ut illum Pſ. 46 *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus: Deus in medio eius non commovebitur: adiuvabit eam manè diluculo.* Quod enim eſt manè illud? quàm prima Conceptio, & primus ortus myſticæ hujus Auroræ: de quo illud Jobi: *Nec ortum ſurgentis Auroræ conſiderat?* Nempe eſt quod in eo conſideretur, ubi ortus in tanta gratiæ luce ſine peccati primigenii labe aut nube denſiſſima. Huc & illud refertur Pſ. 86. *Fundamenta eius*

in

in montibus Sanctis: Ipse fundavit eam Altissimus. &c. &c.

XI.

Auctoritas Cæsarum, Regum, Regnorumque.

Etiam piissimi Imperatores ac Reges, suo suffragio Piam sententiā tuentur; ac ut Imperia & Regna cultui Mariano, sic & Immaculatæ Cōceptionis impensissimæ venerationi addicunt. Nam

Post Annū Domini 900 vixit Leo Imperator, qui Orationem conscripsit de Pura Virginis Conceptione, ubi sic eam alloquitur. *Cùm adhuc in lumbis contincreris, genitor tuus clamabat: Audi filia, & vide, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui. Audisti verè, ô Filia, & oblita es populi tui & sortis, & domûs páternæ; sortis videlicet illius, quam Eva progenitrix toti generi humano distribuit. nihil tu horum in domum tuam intulisti. &c.*

At domus Austriacorum Imperatoria

toria quàm effuſa in cultū Immacu-
latè Conceptæ Virginis! Huic coloſ-
ſos triumphales Viennæ, huic Pragæ
in medio foro hucuſque erigit. Sit
ſat memorare tum Ferdinandum II.
Imperatorem (nam hæc in B. Virgi-
nis Immac : Conceptionem religio
hæreditaria eſt, Auguſtis Succeſſori-
bus ad Imperiū) qui ab Vrbano VIII.
obtinuit, ut per omnia ſua regna &
provincias ſolenniter coleretur Im-
macul : Conceptio : Tum Leopoldū
I. cujus in hoc egregium (ut appellat
Innocentius XI. in literis ad eum da-
tis) zelum laudavit ſedes Apoſtoli-
ca in dictis immediatè literis Anno
1678. 18. Decembris datis

Auctoritas Regum Regnorumque
ſtat pro primigenia Puritate B. Vir-
ginis. In Hiſpania pridem id Feſtum
colitur tenerrimâ Regni devotione.
Sed inſuper Philippus ſecundus Rex
Hiſpaniæ Anno Domini 1614. à Pau-
lo V. ſuppliciter poſtulavit, ut Im-
maculatam Conceptionem Deiparæ

definiret. Quia verò nil eo anno actum, iterum apud ſedem Sanctam inſtitit; & ab eodem Paulo V. Bullam impetravit An. ſalutis 1617. quâ vetitum, ne quis in publicis concionibus, & publicis actibus proponere aut docere poſſet aliquid contrarium Puriſſimæ Marianæ Conceptioni. Magno id plauſu accepit Hiſpania. Nam à Sexta Octobris, quâ hic Nuntius venit, ad octavam Decembris data ſolennis lætitiæ Argumenta, & ſcenæ exhibitæ. Vniverſitates omnes, Canonicorum cætus, Collegia, Sodalitia plurima ſe voto obligârunt, *nunquam contra Immaculatam Virginis Conceptionem dicendi ſentiendivè.* Rex ipſe ſodalitatem inſtituit Madriti in regio S. Claræ Monaſterio, cui ipſe unà cum liberis, & Principes domeſtici omnes, omnes Hiſpaniæ Magnates, Vice-Reges, Duces, Marchiones, Comites, aliique è nobilitate, & præter Collegia atque Academias, centum octaginta Monaſteria, & ſupra

ſupra viginti hominum millia omnis ordinis, ætatis, conditionis, ſexûs, ſua nomina dederunt, factâ voti ſpõſione de tuenda ſemper Immaculata Conceptione.

Philippus deinde IV. miſit legatum in Vrbem Romam, ad Gregorium XV. ab eoque aliam Bullam impetravit Anno Domini 1622 quartâ Maij, quâ contraria Jmmaculatæ Conceptioni opinio, etiam in privatis colloquiis proponi prohibita. Teſtatur id Tauſch in libello de B. Virgine doloroſa. Præterea apud Alexandrum VII. Anno Domini 1971. Philippus Rex Hiſpaniæ & Regina per Ludovicum Epiſcopum Placentinum Oratorem plùs effecit, dũ Bullam illam impetravit de Immaculata Cõceptione glorioſiſſimam, quàm ſupra memoravi ſub Auctoritate Põtificum § 1. ſub duodecimò.

Nec illud omittam, quòd (ut habet in cæleſti Pantheo Engelgravè in Concione feſti Conceptionis) dum

à Sixto IV. Madritum Cursor Regius diploma pro Immaculata Conceptione deferens venisset, lampas noctu tantùm accendi solita ante imaginem B. Virginis Conceptæ; medià luce, eo ipso momento sponte ardere cæpit, consumptoque oleo duravit flamma, affusâ aquâ, tot ad spectaculum accurrentibus. Sic ergo in Regno Hispaniæ illustris est Conceptio B. Virginis. At nec impensis ejus honori parcit, hoc regnum, quod vel ex sola Hispalensium pietate colligi potest, apud quos pretio octoginta millium aureorum tapeti è gēmis & Adamantibus contexto Phrygio opere verba hæc intexta: *Beata Virgo Concepta est sine peccato.*

Alios etiam Reges juvat proponere. Anno 1399. Joannes I. Rex Aragoniæ pro Immaculata Conceptione edictum vulgavit, & perpetuum silentium oppositæ sententiæ in suis ditionibus indixit: item in eos, qui in concionibus vel disputationibus

in dubium vocarent immunitatem B. Virginis à peccato Originali, exilii & proscriptionis Bonorum omnium pœnas interminatus est. Quam ejus constitutionem in suas lucubrationes sacras Joannes Pineda conjecit.

Anno item 1451. Joannes Rex Navarræ in comitiis Catalauniæ habitis cavit edicto pœnisque statutis, nequis unquam in concionibus vel disputationibus adversam Immaculatæ Conceptioni opinionem usurparet vel defenderet.

Antiquius est, quod refert S. Anselmus, & nos supra ex illo retulimus de Regis Hungariæ filio, qui postea Archiepiscopus Aquileiæ, cælitus admonitus fuit de festo Immaculatæ Conceptionis quotannis agendo & prædicando. vixit autem Anno Domini 800. circa finem sæculi illius. Paruit ille cælesti monito, & cultum Conceptionis propagavit.

In Regno Galliæ cultum Conceptionis Marianæ antiquitus observa-

tum probant tum Isidori Missale, & Officium Narbonensis Galliæ à priscis temporibus servatum; tum Ecclesiæ Lugdunensis in Virginem Immaculatè Conceptam religio, quæ etiam vivente S. Bernardo viguit, ut patet ex Epistola illius ad Canonicos Ecclesiæ Lugdunensis de eadem Conceptionis celebritate, scripta: tum ex Richardo, qui q. 1. sic sibi obijcit: *Multi Conceptionem Virginis solẽnizant, nec reprehenduntur; Ergo videtur, quod fuit Sancta*; ubi per multos intelligit Galliæ populos: Tum ex Parisiẽsis Academiæ antiquo zelo pro Cõceptione Deiparæ à temporib⁹ Scoti, ut supra retuli. Nunc autem tantò magis Regnũ id, & piissimi ejus Reges venerantur primum hoc felicissimum Instans Marianum.

Denique Regnum Poloniæ tenerrimè Immaculate Conceptioni afficitur, & singulari religione prosequitur eandem totum, ut omittam Congregationes & sacra sodalitia sub nomine

mine ImmaculatæConceptionis erecta, & nominatim Varſaviæ Sodalitium in domo Profeſſa Societatis JESV, in quo votum emittitur tuendæ Immac: Conceptionis. In hujus Sodalitatis decus acceſſerunt Majeſtates, quæ illi ſua nomina dederunt. Ex his primus fuit Vladiſlaus IV. & Joannes Caſimirus Reges Poloniæ Sueciæque, nec non Carolus Ferdinandus Princeps, Prædictorum Regum Frater; qui cum Joanne Caſimiro tunc nondum Rege, Aſſiſtens fuit Congregationis; Rex autẽ Vladiſlaus ejuſdem primus præfectus. Secuti omnes Principes, Antiſtites, Duces, Proceres, & - - *miſtum cum Principe vulgus. Nempe ſi Rex iuſta velit, quis non eadem volet.*



XII.

Auctoritas à miris & felicibus Anagrammatiſmis de Immaculata Conceptione DEIPARÆ.

ETiam mira Anagrãmata in partẽ argumenti à loco extrinſeco eãt. Certè, quæ ſecundo loco hîc afferuntur, centum Anagrammata, neſcio cui non admirationem cieant ex ſex dictionibus primis ſalutationis Angelicæ conformata. Augent prodigium Authoris oculi, quorũ vix ullus ei uſus, ſolâ vi memoriæ tã aptè, tam concinnè omnia de Immaculato Virginis Conceptu diſponente. Nec primum Euſebii Nierembergii infelici eventu fuit apud Alexandrũ VII. qui memoratam ſupra conſtitutionem edidit, quâ ſuper omnes ante Pontifices Piam ſententiam ſtabilivit, utriuſque Auctoris Anagrammatiſmum accipe.



OMEN

OMEN.

Honori Immaculatæ Conceptionis, Beatissimæ

VIRGINIS MARIÆ,

oblatum

Anno Domini 1661.

SSmo. D. N,

ALEXANDRO VII.

à R. P. Joanne Eusebio Nierembergio, Madritensi è Societate JESU.

Ex his vocibus, quæ pro numero discipulorum Christi, & Collegij Cardinalitij literis 72. componuntur.

Sanctissimus Pater, & Dominus ALEXANDER Papa Septimus, qui erat antea Fabius Chisius.

Collectum & in hoc Anagramma radactum.

Quartus è Senis Papa DEI MATRI Carissimus ipsi labem Adæ non fuisse statuet. Tunc Pax.

Centum Anagrammata honori Immaculatæ Conceptionis B. Virginis à D. Joanne Bap: Agnen: Cyrnæo, Eminẽt. Principis S. R. E. Cardinalis Julij Rospigliosii Aulico solâ vi memoriæ (quod hebetudine oculorum laboret) eruta ex his vocibus Angelicæ Salutationis.

AVE MARIA GRATIA PLENA, DOMINVS TECVM

1 *Pura unica ego sum Mater alma Dei Nati.*
2 *Deipara inventa sum ergo immaculata,*
3 *Pia, Munda, Iusta, Alma Creatorem genui.*
4 *Ego aurum nitens, Immaculata Deipara.*

 5 Ego

5 *Ego mitis, Pura, Immaculata, Veneranda,*
6 *Margarita Cæli sum, nivea a tè munda.*
7 *Sat Pura è malo Adami. Increatum genui.*
8 *Vna semper Immaculata Virgo Dei Nata.*
9 *Deipara augustè Immaculata nominer,*
10 *Arca pura Nati Dei, eum tegam almo sinu.*
11 *Aula sum tota munda, ac Regina Empirei.*
12 *En Virgo, en Deipara sum, at Immaculata.*
13 *Procul anguis à me, una Mater Dei Amati.*
14 *Ruat anguis amare, immane caput elido.*
15 *Tota sine Macula Adam, purè germinavi.*
16 *Pergam inviolata, ac munda Mater JESU.*
17 *Vivam Deo integra, Immaculata Parens.*
18 *Pura, & digna Mater ; summa Cœli Ianua.*
19 *Digna Mater JESV, & Pura à macula omni.*
20 *Sola purè, ac mirè munda animata viget.*
21 *Vna est Deipara Virgo ; en Immaculatam,*
22 *Vna est Immaculata Virgo ; en Deiparam.*
23 *Si pariat una Deum ; en ergo Immaculata.*
24 *En Pura Dei amans, & Immaculata Virgo.*
25 *Purè amata, & munda è macula originis,*
26 *Regina summe Diva, purè intactà à malo.*
27 *Dei summa Imago, clara, & Pura inventa.*
28 *En Virgo Nata Diva semper Immaculata.*
29 *Alma Virgo ante casum Adæ permunita*
30 *En Virgo pariet Deum, sana, Immaculata.*
31 *Nivea Mater JESU, culpam ignorat Adam.*
32 *Ita Eva secunda malum ignorat primæ.*
33 *Virgo est, ac præmunita in Adæ malum.*
34 *Ista Virgo almè, purè ac mundè animata.*
35 *Tanta Virgo merè immunis à culpa Adæ.*
36 *Deipara magna venit, morsu mali vacet,*

37 *Ea ſanè tota Pura, Miraculum Magni Dei.*
38 *Iram maculamve Adæ penitus ignorat.*
39 *Purior Angelis, Deum, unicè ama a, amat.*
40 *Regina mirè tuta à lapſu communi Adæ.*
41 *En micat alme ignita, Pura Domus aurea:*
42 *Virgo Veneranda, ipſamet Immaculata:*
43 *Iſta Eva Regina, Mundo alme pura micat,*
44 *Maturè nego in Deipara juſta maculam.*
45 *Lapſum, ac reatum Adami Nivea Ignoret,*
46 *Magna Deipara unicè tuta è morſu mali,*
47 *Jure negamus maculam in tota Deipara.*
48 *Amici, en Pura genuit Adam Salvatorem.*
49 *Ergo ſine macula avita; nam Deum parit.*
50 *O ſanè claram, & Puram Dei vivi Gnatam!*
51 *O Divam purè genitam ſine atra macula!*
52 *O Divam ingenti macula præſervatam!*
53 *Age Munda; I. Pura, tota mire ſinè macula.*
54 *I, o Regina; Pura, munda, & Immaculata es.*
55 *Age Numen paris, o Diva ter Immaculata.*
56 *Age Idea ſanè clara omnium puritatum.*
57 *Tu jurè Immaculata o Magna Dei Parens.*
58 *Tu magna ſervata à nece mali duri Pomi.*
59 *Tu regia purè Munda, anima amicta ſole.*
60 *Purè Immaculata es, nam Virgo Dei Nata.*
61 *En vades o Pura, Mater Agni Immaculati.*
62 *Eia munda Parens & Immaculata Virgo.*
63 *Tu è ſummo data Pura à nece amari ligni.*
64 *Pura ante Originem Immaculata vades*
65 *Tu ergo Immaculata; nam Deipara venis.*
66 *Tu regia munda animata Cœlum aperis.*
67 *Vna paries Dei Natum: Ergo Immaculata.*
68 *I, age Pura à ſorde, & munita in maculam*

69 I Re-

69 I Regum Patrona: en Diva Immaculata es.
70 Jam munda es à culpa Virgo Intemerata
71 Vna Deo Immaculata es, Mater Puri Agni.
72 Eia ergo Pura Munda, Immaculata nites.
73 I Virgo ſanè munda apertè Immaculata.
74 Eva te dignam juro ſine macula partam.
75 Pura à macula, eſto etiam mundi Regina,
76 Tu Regina Pia, ſumma, & munda Cœli Ara.
77 I Virgo alme amata. Pura, Munda niteſce.
78 Sanè digna, meritòue Pura Immaculata.
79 Verum Dei Agnum, intacta à malo, paries.
80 Age purè animata, mire cumulata donis
81 O Regina ſummè nitida & Pura à macula.
82 Cœli merè gaudium, Nata Pura Amantis:
83 Virgo planè Munda, ac Mater JESU Amati.
84 Eia Pura, Munda, tu magni electa Amoris.
85 Virgo antea Immaculata, en Paris Deum.
86 En vacas multâ pomi Regina Diva Mater.
87 Mater Virgo Pia, jam vale ſancte munda.
88 Eva Regina ſummo Amanti Pura Dilecta.
89 O vera Immaculata Dei Gnatum pariens.
90 O JESU en digna Mater, Pura Immaculata.
91 O Magna Immaculata, tu Parens veri Dei.
92 Adam, & Evam in macula purè ignoraſti.
93 I. alma intacta, Eva Virgo ſemper munda.
94 I ergo Pura, i ſanè munda, & Immaculata.
95 Euge mali neſcia, Pura, munda, mira tota.
69 Age Patrona Mundi, jure Immaculata es.
97 En tu Immaculata es, nam Virgo Deipara.
98 Eva ſecunda Pura Mater Agni Immolati,
99 Virgo à macula Adæ patenter immunis.
100 Te Puram, ſine macula genitam adoravi.

Impreſ. ROMÆ 1661. & paſſim alibi.

XIII.

Auctoritas à Miraculis.

Miracula cùm probata sunt, suâ vi non carent, & inter motiva credibilitatis meritò reponuntur. Sunt enim velut quædã loquela Dei & luculentior attestatio veritatis.

Porro pro Puritate Virginei conceptûs si miracula quis requirat, neque hîc multùm tergiversabitur Pia sententia. Atque.

Primò: in miraculorum hujusmodi classem revocari poterunt prodigiosi illi eventus & miraculosè obtẽtæ quædam gratiæ, quas retulimus ex S. Anselmo, sub titulo, Auctoritas à revelationibus fide dignis. Tria ibi miracula unà cum revelationibus recenset prædictus Sanctus Antistes, omni exceptione testis dignissimus.

Secundò: ad miraculorum classem referri debet illud, quod refert Antonius Solarius Carpinas, libro de Veneratione & Invocatione Sancto-

rum; & ex illo tū alii, tum Antonius Spinellus in libro pulcherrimo de B. Virgine, quam Thronum Dei in titulo libri vocat. Sic autem ſe res habuit: Octava feſti Conceptionis, quam Sixtus IV. Indulgentiis proſecutus in Ordine Minorum, poſtea totius Ordinis Cæleſtinorum decreto, apud illos eſt inſtituta, prōcurāte id Nicolao Pratenſe ejuſdem Ordinis viro Religioſiſſimo, & Deiparæ ſtudioſiſſimo. Hic cùm id impetrâſſet, lætior hinc hortum ingreſſus, roſam pulcherrimam ibi decerptam, corã Imagine B. Virginis venerabundus poſuit dicens: *Divina Parens, ſi gratum eſt, quod noſter Ordo de Octava Immaculatæ tuæ Conceptionis conſtituit; Roſa hæc, quam tibi offero, vertente anno, recurrente hoc ipſo die viriditatem & pulchritudinem ſuam conſervet.* Factum id multis videntibus & ad rei novitatem attonitis anniverſario die. Hæc verò Antonius Solarius ab iis, qui miraculo interfuerant, accepta literis conſignavit.

Tertiò: ad eandem classem reduci possunt Auctorum testimonia, qui contra tentationes inhonestas quibusdam profuisse testantur invocatam Immaculatè Conceptam Virginem.

Denique prodigio non vacat ipsa notitia tanti privilegii concessi primo instanti vitæ Marianæ; & admirabilis ab antiquo consensus Ecclesiarum ac orbis pænè totius Christiani. Vnde etiã Sixtus IV. meritò in Bulla incipiente: *Cùm præexcelsa*, miram Conceptionem Virginis appellat, proque illa gratias omnipotenti Deo referre jubet. Nimirum mira est hæc Conceptio tum in se ipsa, tum quoad sui notitiam admirabilem.

Vltimò.

AD calcem § Primi adjicio sensũ Mahometis & Lutheri de Conceptione B. Virginis.

Mar-

Martini Lutheri

Vox illa impia est apud Salazar:

NVllum Festum magis odit anima mea, quàm Festum Corporis Christi, & cõceptionis Beatæ Virginis. Sic Lutherus. Ego causas odii non investigo; vel quare duo hæc conjungat Festa, odii sui materiam. Gratulor Piæ sentẽtiæ, imò Vniversali Ecclesiæ. quod huic odio Lutheri contradicat, & tam impense Festum ac opinionem amet, quam ille oderit.

Alia vox Mahometi.

QVi in suo Alcorano primigeniam Beatæ Virginis innocentiã non odit, sed extollit, solãque hîc ab omnibus excipit MARIAM, dum sic ait:

Nullus de filiis Adam nascitur, quem nõ tangat satan; & ideò plorat vociferans ex eius tactu; præter MARIAM & Filiũ eius. Addit deinde: *o MARIA cunctis*

viris fœminisque præclarior! Deus utique elegit te, & purificavit te, claram super mulieres sæculorum. Hæc Mahometus. Equidem magnam fidem faciũt & adversariorum testimonia, quoties ab illis vis quædã veritatis extorsit, quod in hostis, quem alias persequuntur, commendationem redundat, uti est hoc Alcorani testimonium: Nempe - *quandoque olitor fuit opportuna locutus.* Atque hinc fuit, quòd sub Joanne XXII. Summo Pontifice, Soldani Armeniæ filius, qui jam voluit baptizari & Christiana sacra recipere, cùm audisset Concionatorem contra Immaculatam B. Virginis Conceptioonem debacchantem, à voluntate baptismi recipiẽdi resilierit; hanc injuriã graviter ferens, quam nec Mahometus in Alcorano passus. testatur hac de re Engelgrave in cælesti Pantheo, Concione de Immaculata Cõceptione.

Ex dictis toto hoc §

PAtet, nihil propemodum deesse per locum extrinsecum ad motiva credibilitatis, de Immaculata Cõceptione indubitatè asserenda. Sola, quæ alibi inter motiva credibilitatis referuntur, desunt hîc Martyria; sed nec effuso sanguine non libenter asserent Puritatem Marianæ Conceptionis, quotquot ejus fuerunt hactenus, & sunt Cultores ac assertores.



§ II.
ARGVMENTA
A ratione deducta
Pro Immaculata Conceptione B. Virginis MARIÆ.

NOn auctoritas tantum, etsi hæc fermè sufficeret; verum & ratio multiplex Piam sententiam de Immunitate B. Virginis à peccato Originali sancit & approbat.

Argumentum I.

TItulo Maternitatis Divinæ B. Virgo fuit immunis etiam à peccato Veniali. Ergo multo magis ab Originali peccato. non minùs enim, imò magis titulus Maternitatis postulat libertatē à peccato mortali, quale est peccatum Originale, quàm à Veniali. Aliter idem proponitur: Veniale animi pulchritudinem non corrūpit, nec charitatem extinguit, nec constituit inimicum Dei; & tamen Matrem Dei non decuit, ideòque ab illa omne veniale peccatum abfuit. Ergo tantò magis abfuit Originale peccatū nec animi pulchritudinem admittens, & inimicū Dei constituens, mortēque æternam animæ consciscens.

Argumentum II.

ORiginale peccatum, & actuale mortale, æqualem, aut majorem ignominiam malūque affert. Ergo si

mortale actuale arcetur à Matre Divina: etiam arceri debet Originale. Quod æqualem, patet: quia, ut jam dictum, etiam Originale, est mortale peccatum. Quod majorem, patet ex effectibus, quos præter communes mortali peccato, in animum & corpus derivat. Tales effectus sunt, tum quòd peccatum Originale sit fons actualium peccatorum: nam, ut ait Diuus Gregorius lib: 6. Moral. c. 15. *Ex peccato Originali fit peccatum actionis*: Tum quòd hinc concupiscentia & fomes peccati descriptus à Paulo dicente: *Sentio aliam legem in membris meis captivantē me in lege peccati* Et Rom. 7 *Non ego operor illud, sed, quod in me inhabitat, peccatum.* ubi reliquias peccati Originalis peccatum appellat, quæ ex causa nomen suum accipiūt. Sunt item alii effectus ejusdem Originalis culpæ; ut multitudo conceptuum, gestatio gravis, dolor in partu, legalis immūdititia puerperii sordes. Majora ergo mala adfert Originale,

nale, & majorem ignominiam, quæ nulla deceat Maternitatē Dei, quàm actuale mortale: cùm præter communia mortali peccato mala, prædictos effectus afferat.

Argumentum III.

EX negatione effectûs necessarii aptè colligitur negatio causæ. At in B. Virgine non fuit effectus necessarius peccati Originalis, nempe fomes peccati, seu concupiscentia invitans ad peccatum. Ergo & causa ejusdem fomitis propria, seu peccatum Originale abfuit. Fuisse autem in B. Virgine restinctum vel abditum fomitē ipsoCōceptionis suæ exordio sentiunt Suar. Vasq. Barrad. Canisius, Marsilius, Cordubensis, Thomas Argentinas. Hinc

Argumentum IV.

INdecorum esset ponere in B. Virgine Dei Genitrice fomitem peccati, qui est prava propensio ad malum,

lum, & inteſtinum appetitûs ac rationis bellum, qui militat adverſus animam, & captivat in lege peccati. Ergo indecentius eſt in B. Virgine ponere peccatum Originale. Si enim bellũ appetitûs & rationis dedecet, multò fœdius eſt victum eſſe in eodẽ bello.

Confirmatur ex collatione nominum Fomitis & peccati Originalis. Nam fomes peccati juxta S. Baſilium eſt *innatus dæmon omnia prava ſuadens*; juxta Magiſtrum ſententiarum, *Tyrannus*; juxta Chryſoſtomum *terna multiplex ſerpens*; juxta Tridentinum eſt *ex peccato, & ad peccatũ inclinat*. Sed peccatum Originale lõgè magis hæc nomina hæreditat, tum innati dæmonis (nam ut alicubi ait Chryſoſtomus, Peccatũ eſt magnus dæmon) tum etiam tyranni, à quo illud *grave iugum ſuper filios Adam à die exitûs de vẽtre Matris eorum*: & inſuper, ut ex S. Dionyſio Turrianus depromit, *peccatum Originale eſt habitus diſſimilitudinis Dei,*

Dei, homini ingenitus, estque privatio justitiæ Originalis debitæ, ut aliqui illud describunt. Si ergo dedecuit fomes peccati, multò magis peccatum Originale dedecuit Matrem Dei ob eadem nomina.

Argumentum V.

PLus est gratiæ & privilegiorum B. Virgini concessum, quàm aliis omnibus, ut habet Sanctus Thomas 3. p. q. 27. ubi ait: *Rationabiliter creditur, quod illa, quæ genuit Unigenitum â Patre plenum gratiæ, præ omnibus aliis majora privilegia acceperit.* Et Hieronymus Epist. de Assūpt. inquit: *B. Virginem credendum est, ampliora promeruisse virtutum privilegia & gratiarum.* Sed aliquibus concessa est gratia immunitatis ab omni prorsus peccato in prima suî productione, ut Angelis, & Adamo ac Evæ, imò & posteris Adæ immunitas à peccato Originali fuisset collata, Adamo non peccante. Ergo tantò magis gratia illa im-

munitatis à peccato collata fuit B. Virgini in prima suî Creatione seu Conceptione.

Confirmatur ex eo quod dicit Augustinus: *Plus B. Virgini gratiæ datum esse ad vincendum omni ex parte peccatum.* Vbi non loquitur de solis actualibus peccatis: nam ab his præservati sunt infantes, qui mortui post baptismum, imò & sine baptismo. Item ly, *Ex omni parte vincendum ab illa peccatum*, omnia excludit. Si ergo alicui data gratia ad vincendum peccatum, ita ut nec illud in prima suî productione habuerit, plùs gratiæ ad idem datũ est tũc Virgini Beatæ, adeòque multò magis illa tunc caruit omni peccato. Imò sit.

Argumentum VI.

BEata Virgo vicit Angelos gratiâ. Item à SS. Patrib⁹ sanctior quàm Cherubim & Seraphim dicitur, ut suprà attulimus & Epiphanius serm. de laudibus Virginis asserit: *Ipsa fuit purior*

purior omnibus Cherubim, & omni exercitu Angelorum. Vnde tanto magis verum est dictũ Idiotæ in contempl: de Virgine c. 1. ubi ait : *Non aefuit tibi Puritas Angelorum ô Virgo.* certè enim non defuit par Puritas, ubi adfuit major. At quomodo Sanctior, quomodo æquè Pura, non tantùm purior omnibus Angelis fuisset, si cùm illi nunquam peccâssent, illa peccâsset in Adamo, utique lethaliter?

Argumentum VII.

AVt Deus voluit quidem, sed non potuit integritatem animi etiam ab Originali labe in B. Virgine servare : aut potuit quidem, sed non voluit Vtrumque Deo contumeliosum : quia voluisse, at non potuisse; potentiam Dei extenuat : potuisse autẽ & noluisse, bonitatem ejusdem, & debitam erga Matrem suam pietatẽ deprimit. Censendum est igitur & potuisse, & voluisse præservare illam à prædicta labe, adeoque præservâsse.

Argumentum VIII.

EX una parte, possibile fuit B. Virginem à peccato Originali præservari: vel in pacto cum Adamo non includendo B. Virginem, quoad transfusionem voluntatis ejus in voluntatem Adæ peccantis; & sic nec debitum proximum contrahẽdi peccati Originalis incurrisset: vel si in pacto cum Adamo inclusa fuisset, in instanti Conceptionis ei gratiam Sãctificatam infundendo, cum qua non staret peccatum in eodem instanti: aut certè ante unionem animæ cum corpore, vel in ipso instanti unionis, condonando ei peccatum Originale. Ex altera parte id decuit Matrẽ Dei ob consanguinitatem immediatam cum Deo Homine, cui non congrueret habere Matrem, quæ haberet reatum damnationis æternæ, & mancipium unquam foret diaboli. Ergo censendum est, sic præservatam.

Argumentum IX.

DIgnitas naturæ Angelicæ & humanæ ad ſuî decentiam poſtulabat, ut juſtitiâ Originali in ſua prima creatione ornaretur. Aliàs nobiliſſimæ illæ naturæ haud decēter ſe omninò haberent, & peritiam Authoris in eis condendis requireres. Sed naturalis dignitas Matris Dei longè ſuperat dignitatem naturæ Angelicæ & humanæ. Nam ſecundum S. Thomam ineſt illi quædam dignitas infinita. Ergo hujus dignitatis decentia potiori jure Originalem juſtitiam ſibi in Matre Dei vendicat. Aliàs Authoris dexteritas in tanta Matre abſolvenda & perficienda manca videretur.

Argumentum X.

ABſurdum videtur dicere, B. Virgini ex eo ſolùm, quod Adami filia fuit, ſi in accepta juſtitia ipſe cōſtans fuiſſet, gratiam prorſus deberi; & ex eo, quod Dei Mater futura erat, non

non similiter eidem hanc gratiam debitam fuisse. Ergo si data illi fuisset gratia Originalis ex filiatione Adæ non peccantis, data est potiori jure ex Maternitatis Divinæ exigentia.

Argumentum XI.

M*Ensura gratiæ Virginis est eius Maternitas* juxta Bonaventurã. cum ergo Maternitas Divina ex sententia Scholasticorum cum S. Thoma *dignitatem habeat infinitam ex bono infinito, quod est Deus*; ad suæ dignitatis explẽdam mensuram exigeret gratiam infinitam. Ergo multò magis exigit finitam, quâ minor illam dedeceret. Et talis est gratia etiam Originalis, ceu basis solida illius immensitatis gratiæ ei consentaneæ.

Argumentum XII.

OB decentiam Maternitatis Divinæ, etiam oppositâ sententiâ fatẽte, post primum Cõceptionis instans, nullum fuit momentum temporis,

poris, quo non augeretur continuò gratia B. Virginis; ideoque ex ſpeciali privilegio erat in continuo actu amoris Divini nec ad inſtans interrupti. Cur ergo hoc privilegio in primo inſtanti Conceptionis defraudatam putent, & providentiã Dei ſpecialem minùs illi providiſſe in eo inſtanti, quàm in reliquis omnib⁹, cum pro pari privilegio decertet ſemper eadem Maternitatis decentia? Atqui cum illo amore ſupernaturali in momento Conceptionis habito peccatũ non conſiſteret.

Argumentum XIII.

IVxta Gerſonem alphab. 88 lit. 2. item juxta S. Bernardinum Senenſem to. 2. ſerm. 51. a. 1. c. 2. itẽ juxta Petrum Damiani, quò etiam S. Brigittam Revelationum c. 32 § 4. trahit Suarez, & Salazar, Beata Virgo in primo inſtanti Conceptionis ſuæ Deum clarè vidit. At viſio clara Dei incompoſſibilis eſt cum peccato

quo-

quovis. Huic enim visioni necesse est conjungi amorem Dei ardentissimũ. Ergo in primo instanti Conceptionis suæ B. Virgo fuit sine peccato.

Quod si dicas, sic eam in primo instanti Conceptionis non meruisse illo actu amoris Divini ut pote necessario ad visionem consequente; dici poterit vel cum Suarez idem, quod de Christo, qui duplicem amorem Divinum habuit: unum secutum beatã visionem, alterum Sciẽtiam infusam; hunc fuisse meritorium, non illum: vel dicere quis possit cum Vasquez, per aliarum virtutum actus, ut etiam per amorem generis humani meruisse Christum & B. Virginem in eo instanti: deinde, quidquid sit de merito, sufficit, quod Originale, ut nec aliud ullum peccatum, cum visione beata consistat.

Argumentum XIV.

BEatæ Virgini Scientia infusa inerat ab instanti Conceptionis unde

de S Bernardinus Senensis to. 2. serm. 51. a. 1. c. 2. inquit. *In prima Sanctificatione, quantum ad rationem & intellectum, tanta illi claritas superinfusa est, ut hæc septẽ perfectè intelligeret secũdum quosdam. Primò, naturam creatam irrationabilem: secundò, naturam creatam rationabilem: tertiò, naturam creatam spiritualẽ: quartò, naturam increatam Divinalem: quintò, omnia quæ erant aspernanda & fugienda: sextò, omnia, quæ erant sequenda & amplectenda: septimò, per quem modum & ad quantum gradum omnia essent ordienda.* Hucusque S. Doctor. Ergo ab eo instanti per contemplationem & amorem Deo inhæsit, ut à nullo bono creato & commutabili avelli inde posset. Ex auxilio enim speciali illa contemplatio Dei ita attenta, & amor ita vehemens fuit, ut omnem naturæ motũ contrarium sopiret ac impediret. Si autem tunc Deo per amorem supernaturalem à scientia per se infusa & contemplatione pendentem inhæsit tam firmiter, ac im-

mo-

mobiliter, quomodo tunc locus peccato foret? Certè Sanctus hic Doctor sanctificatam fuisse in primò instanti suæ Conceptionis docuit supra.

Argumentum XV.

MAtris Dei, & servorum Dei infinitum est discrimē, ut ait Damascenus Orat: 1. de dormitione Virginis. Si ergo servis Dei, Sancto Joanni Baptistæ, & Jeremiæ datum, ut in utero sanctificarentur, ille sexto mense, hic fortè adhuc maturius, Mater Dei debuit sanctificari etiam in primo instanti Conceptionis. Aloquin si & Virgo post casum Adæ erecta ut & illi, quid intervenit in Matre Dei & servis Dei, ratione cujus infinitum aut ingens discrimen sit inter illos & Matrē Dei quo ad hoc? nam si major gratia Divinæ Matris dicatur sufficere ad id discrimen; cur non etiam maturior, & talis, quæ sit ante casum? cùm sit convenientius per hoc discerni inprimis Matrem

Dei à servis Dei, quod illa ita Mater esset Dei futura, ut nunquam fuerit filia diaboli, inqua filiatione nō sunt permissi etiam servi diu permanere, quin tam maturè sanctificati, à peccato Originali liberarentur.

Argumentum XVI.

IN sententia Francisci Suarez, priùs B. Virgo fuit electa ad Maternitatem quàm ad gratiam: *quia* (inquit hic Doctor) *omnes gratiæ, quibus exornata fuit, eum in finem illi tributæ sunt, ut digna Dei Mater existeret: oportuit autem, ut ordinata esset electio, finem priùs prævideri, quam media, quæ ad finem ordinabantur.* At hinc sequitur, dādam datāque fuisse B. Virgini gratiam Originalem. Nam potissima causa immunitatis ab Originali peccato, est Maternitás Divina. Vt esset digna digni, Immaculata Sancti, ut ait Origenes. imò si priùs, quam prævisa foret Mater Dei, accepisset gratiam, quo nomine à primo peccato fuisset

liberata? Plerique huic discursui applaudunt; nisi quòd prima propositio Suarii non ab omnibus admittitur: quia si prius electa supponatur ad Maternitatem, quàm ad gratiam; nil meriti ad eam dignitatem Maternitatis attulisset contra sententiam Patrum & Ecclesiæ canentis: *Quem meruisti portare.* Aliud argumentū Francisci Suarez obiter hîc attexo: quod pro majori propositione Syllogismi assumit illam propositionem Augustini ex lib: 5. contra Julianum c. 9. Is, qui grandioris ætatis peccatum actuale non commisit in infãtili ætate, nec Originale contraxit. Minor subsumitur: Sed B. Virgo juxta Concilium Tridentinum & ipsummet Augustinum nullum actuale cōmisit. Ergo nec Originale contraxit. Scio quid responderi queat ad hoc argumentum; sed Auctoritas Augustini pro majori propositione etiam de adulto & bono usu rationis prædito, argumenti vim tuetur. Minor etiam

de

de nullo est tam certa præter Christũ; est enim de fide; & Suarez (tãtus Doctor!) infert prædictam consequentiam! an ergo & hoc argumẽtum vi suâ careat?

Argumentum XVII.

AD Christum suscipiendum in Incarnatione, major requirebatur in ejus Beata Matre integritas animi, quàm corporis, ut per se patet: & quia potior est animi integritas, quæ peccato corrũpitur, quàm corporis, quæ sine peccato etiam omittitur. Si ergo ob decentiam Maternitatis Divinæ perpetua esse debuit Virginitas corporis in B. Virgine, multò magis perpetua integritas animi. Atqui hanc primo corrumpit peccatum Originale. debuit ergo hoc abesse á Virgine. Hinc illud Ambrosii dictũ de illa: *Virgo erat non solùm corpore, sed & mente*, hoc, inquam dictum citans Gerson serm. de Conceptione, sub-

infert sic: *Alias non Virgo mente, si peccato Originali corrupta.*

Argumentum XVIII.

ETsi munus Mediatoris primariò Christi proprium sit; tamen secundariò post horum munus Mediatricis tribuunt B. Virgini Sancti Patres; nempe Ephrem de laudib' Virginis: Basilius Seleucus serm. de Incarnatione: Bernardus serm. de verbis Apocal. ubi ait: *Opus est Mediatore ad Mediatorem istum; nec alter nobis utilior est, quàm MARIA.* Fuit verò Mediatrix, ut hîc obiter attingam, non ideò tantùm, quod Christum genuerit Mediatorē; sed tum ratione propriæ mortis, quàm pro salute hominum desideravit & obtulit unà cum filii morte, ut habet Arnoldus Carnotensis tract. de laudib: Virginis: tum ratione mortis Filii sui, quam volūtariè pro redemptione humani generis litavit, ut habet Bernardinus Senensis to. 1. serm. 51. c. 4. tum quia

apud

apud filium Mediatricem agebat. Fuit ergo Mediatrix B. Virgo. Hinc ſic arguitur pro Immac. Concept.

Ex munere Mediatricis inferunt Patres immunitatem Virginis à peccatis actualibus; ut habet Bernardus epiſt. 174. ubi ait *decuiſſe, ut abſque omni peccato duceret vitam, quæ munus vitæ omnibus obtineret, Mediatrix pro actualibus hominum delictis.* Atqui eadem Virgo eſt Mediatrix pro Originali hominũ peccato. Ergo etiam immunis eſſe debuit ab Originali peccato. Quòd autem Mediatricem ſe geſſerit etiam pro Originalibus hominum culpis; patet tum ex Petro Damiani, qui eã dicit *Originalis peccati tenebras diſſipâſſe: & totum deterſiſſe maledictionis antiquæ cõtagium* (ſerm. de Nativ.) Tum ex Ildephonſo, qui libro de Parturitione Virginis inquit: *Conſtat eam ab omni peccato Originali fuiſſe immunem, per quã non ſolùm maledictio Evæ ſoluta eſt, verùm etiam benedictio omnibus condonata.* Tum ex Bernardo clariſſimè, qui ſerm. ſu-

per missus ait: *Curre Eva ad MARIAM, curre Mater ad Filiam : ipsa mortis opprobrium auferat, ipsa pro Matre satisfaciat : si vir cecidit per feminam, iam non erigitur, nisi per feminam.*

Immò primariò munus Mediatricis pro Originali hominum peccato illam egisse hinc ostenditur : nam B. Virgo fuit socia & æmula Christi Domini in mediatione. At Christus etsi pro omnibus actualibus hominũ peccatis Mediatorem egit, principaliter tamen pro Originali, nam, ut aliàs dictum, principaliter decreta fuit incarnatio ad remedium peccati Originalis juxta S. Thomam & alios Doctores plurimos: Ergo & B. Virgo. Vnde subinfero: Si ergo Mediatio secundaria pro peccatis actualib⁹ probat B. Virginem ab actualibus peccatis fuisse liberam; etiam primaria mediatio ab Originali peccato, eam statuet ab eodem peccato liberam.

Argu-

Argumentum XIX.

GOmetius in § item Serviana Institut. de actionibus & obligationibus ait: *Obligatione generali nunquam comprehendi res, per quas consulitur publicæ utilitati.* At nulli dubium, quantum humano generi profuerit prositque Beatissima Virgo; & quantum per illam consultũ publicæ saluti ac orbis utilitati, dum primum conciperetur. Igitur sub generali maledicto nõ debet comprehendi.

Argumentum XX.

ADhuc legem aliam (leges autem rectæ rationis partus sunt) adduco ex Vlpiano, in lege, Princeps. ff. de legibus; ubi sic dicitur: *Augusta, licet legibus soluta non sit, Princeps tamen eadem illi privilegia concedit, quæ ipse habet.*

Quin ergo & Augusta cæli terræque Princeps gaudeat immunitate à peccato etiam Originali, à quo liber extitit summus Princeps idemque Virginis sponsus? Certè nullus libe-

ralior ſponſus in Sponſam Principē fuit, quàm Christus in hanc Auguſtam noſtram; adeòque animorum conjunctio debita inter Sponſos hujusmodi privilegium concedere Auguſtæ perſuaſit.

Argumentum XXI.

FIni par eſt congruere media. Si ergo finis, ad quem Beata Virgo eſt electa, ſupremus & inauditus, nēpe, ut eſſet Mater Dei præter legem & modum communem pariēdi; quid mirum, ſi & inaudita media, ut alia, ita & Conceptio inſolita ad tantum finem accommodata? Sic arguit Barradius noſter.

Argumentum XXII.

BEata Virgo ſpecialiter dicitur Sponſa Dei; quia in Verbi nuptiis, loco totius naturæ humanæ ipſa conſensū præbuit, ut habet S. Thomas 3. p. q. 30. a. 1. Ergo in ſola Virgine natura debuit eſſe integra, & in ſua dignitate, quæ in reliquis per culpam

pam vitiata. Nam oportuit ad Connubiũ Verbi unam ſeligi incorruptã, in qua eſſet naturæ integritas, & gratia ac juſtitia Originalis conſtans, nec fidem datam violans unquam. Vnde in canticis dicitur. *Vna eſt columba mea ſpecioſa mea.* Cui ibidem dicitur: *Veni de Libano ſoror mea Sponſa.*

Item ſi Sponſa fuit Dei: at Sponſæ tranſeunt in familiam Sponſi, l. quicunque C. de re militari. Item uxor ſequitur leges & forum viri ex communi ſententia Juriſperitorum. Præterea ejuſdem Originis cenſetur cum marito, ut docet gloſſa leg. Originali C. de municipatu & Origin. 1. 20. Ergo & Beata Virgo à ſuorum parẽtum familia deſciſcens, in novã Spõſi Chriſti familiam tranſiit ac Originẽ, quatenus abjecit vitioſam naturæ Originem, & Puram Sponſi Originem accepit.

Argumentum XIXIII.

DEus præcepit Matrem honorare, & (ut ait Alexander III. apud Petrum Blessensem in Instructione fidei ad Soldanum) *quod docuit, mandatum fideliter adimplevit.* Ergo absit ut dicatur ceu suæ legis trãsgressor, Matrem suam non honorâsse, quatenus, cum posset illam, per anticipationẽ prævertendo peccatum, gratiâ Originali cohonestare, id distulerit, ac tãtùm, postquam peccato inficeretur, illam mundare decreverit. Hinc Gerson serm. de Conceptione alloquitur Christum. *Appareret legem illam non benè adimpleri, si in immunditiam & subiectionem peccati Originalis aliquo tempore permitteres Matrem illam, quæ esse deberet habitaculum, templum & palatium totius Puritatis.* Certè Filius non censeretur honorare Matrem & debito amore prosequi, qui ab ea lapsum in foveam aut in captivitatem, nollet avertere, cùm pòsset, idque malum prævideret; sed expectaret, donec sic laberetur, & captivaretur, ac tum demum illam

illam his malis eximeret. At indulgentiùs se gessit Dei Filius erga Beatam Matrem, quàm quicunque optimus filius erga suam.

Argumentum XXIV.

BEata Virgo fuit prædita potestate & authoritate Matris in Filium, ut præter alios Patres docet Ildephōsus, de Virginit. Sanctæ MARIÆ dicens: *Vt esset Dominator nascendo subditus Ancillæ, sicque haberet Ancilla in subdito Dominum, Ancillam Dominus in Prælato.* At haud decorum fuisset, Christum sub Virginea potestate fuisse, quæ peccati servitutem fœdissimam aliquando sustinuisset: imò censuræ id patuisset, quasi ex peccatrice Matre & serva peccati procreatus esset quâdam necessitate, veluti à peccato illam servare haud potuisset; cùm tamen non necessitate ullâ genitus ex ea fuerit, sed ut ait Chrysostomus in c. 1. Math parentes suos adoptâverit, & Matrem elegerit. Elegit ergo dignam

gnam se, nec dedecori sibi futuram ulli ob servitutem ullam peccati.

Argumentum XXV.

BEata Virgo prædita fuit dominio Creaturarum (ut passim docent Patres) excellentiori, quàm habuerit Adam ante peccatum. Et quidem id dominium sortita est ab instanti Conceptionis suæ, ut ex Chrysologo colligitur, qui serm. 142 de Annunt. ait: *Quam nasci & vocari Dominam fecit & imperavit ipsa sui germinis auctoritas.* Nasci autem etiam pro cōcipi sumitur, ut patet tum ex Luc 1 Quod enim in ea natura est, de Spiritu Sancto est: tum ex Vasquez qui distinguit nasci ex utero, & nasci in utero seu concipi. Jam subsumo. Atqui Adam hoc dominium accepit cùm justitia Originali hâc verò amissâ, & illud amisit. Ergo & dominium excellentius B. Virginis supponit gratiam Originalem. Cùm enim naturæ conditio illam hominibus exæquaret, sola gra-

tia

tia super homines extulit in ipso Cōceptionis momento. Deinde, principatus in Angelos quomodo illi tunc congrueret, nisi gratiam Originalem habuisset, ut omnes Angeli in gratia sunt conditi? juxta Augustinum l. 12. C. in c. 9. & Theologos. Adhæc, si ordo præposterus visus fuisset, ut sētit Scotus, Angelos Christo velut Regi sine Gratia unionis Hypostaticæ submitti; an non inordinatius putaretur; eosdē Angelos Feminæ quondam imò tunc peccatrici subdi velut Reginæ?

Argumentum XXVI.

SI Beata Virgo Originalis peccati rea fuisset, ejus judex & vindex Christus fuisset. Nam omne judiciū Pater dedit Filio Joan. 5. Atqui hoc non decuit: tum quia vel humana subsellia perhorrescunt, si Filius cōtra Matrem jus dicat: tum quia nequit esse locus judicio, ubi nec justitiæ. At inter Matrem & Filium (ut docet

docet Ariſtoteles Ethic. 8.) juſtitia propriè dicta nequit intercedere; quòd juſtitia ſit inter duos, illi verò indiviſi & indiſcreti cenſentur. Ne ergo filius contra Matrem ex jure agere poſſet; oportuit, ne Virgo quidquam judicio dignum admitteret, ne illa unitas inter illos ſolveretur. Non fuit ergo rea peccati Originalis.

Argumentum XXVII.

INdecorum eſſet, Matrem Dei pœnitentiã agere, ut habet Bernardus ſerm. 2. de Aſſumpt. dicens: *Virginalem domum intelligi volens Spiritus, ſiluit non incongrue pœnitentiam, quæ malum comitatur. Abſit enim, ut propry quidquam inquinamenti domus illa habuerit.* Sed Originale peccatum pænitentiâ & deteſtatione dignum eſt, ut habet Suarez 3. d. de pænit. to. 4. & Vaſquez. (eſt enim culpa Originalis in ſingulis propria: pænitentia vero eſt deteſtatio culpæ propriæ) Ergo abfuit à Matre Dei.

Argu-

Argumentum XXVIII.

RElìquam vitam B Virginis post primum instans Conceptionis ideò statuunt omnes ab omni culpa mundissimam, quia eò tota referebatur, ut digna Dei Mater existeret. Sed non minùs ad eandem dignitatē ordinabatur Conceptionis primum instans, & prima cōditio B. MARIÆ, quàm reliqua ejus vita. Ergo & Cōceptionis primum instās similiter ab omni labe fuit immunè.

Imò præfata ordinatio ad dignam Maternitatem Dei magis evincit Cōceptionis immunitatem: tum quia rerum initia sacratiora sunt, & omen reliqui decursus: tum quia genus Matris ad filios inprimis pertinet, quod per generationem ad eos transmittitur; genus autem ex prima cujusque Origine & conditione decidit.

Argumentum XXIX.

OPpositi Authores, ut proximè dictū, per primum tantummo-

do

dò inſtans Conceptionis ajunt fuiſſe in peccato Originali B. Virginem; poſt illud inſtans ab eo liberatam. Nolunt ergo illam diutius manſiſſe mancipium dæmonis ob peccatum, quàm per primum inſtans. At ſi indecorum fuit manſiſſe tale mancipium diutiùs, quàm per inſtans; quomodo decôrum fuit manſiſſe tale, vel per inſtans? Imò cur non manſiſſet tale mancipium per plura inſtantia, vel per menſes? ſemper enim opponi potuiſſet: vel fuit indecorum, Matrem Dei futuram manſiſſe orci mãcipium primo inſtanti, vel non: ſi fuit; quomodo manſit? ſi non fuit indecôrum primo, cur foret indecorũ ſecundo inſtanti ex pluribus? Quod ſi decori ratio valuit pro reliquis inſtantibus, cur non valuiſſet pro primo?

Argumentum XXX.

PEccatum Originale eſt ceu radix germinans peccata actualia. B. Virgo

go caruit hoc germine. Caruit ergo & radice. Seu alter: Peccatum Originale: est Mater actualium peccatorum, ut allatum est ſupra ex Divi Gregorii lib. 6. Moral. c. 15. Ergo à Divina Parente abeſſe debuit quid enim ita pugnat cum Maternitate Dei, ut Maternitas peccati?

Argumentum XXXI.

LEgalem immunditiam, quæ ex partu contrahitur (Levit. 12.) & puerperii ſordes abeſſe Chriſtus voluit á Be ata Virgine Matre, ut colligitur ex Cypriano & Auguſtino. Ergo multò magis labem Originalem, quæ longè fædior. Item illæ puerperii ſordes ex Originali peccato dimanant. Si ergo has horruiſſet in Matre, magis earum fontem, ideſt, peccatū horruiſſet

Argumentum XXXII.

POſt Adæ peccatum, mulieri dictū in pænam peccati: In dolore paries filios: multiplicabo ærumnas tu-

as; id eſt, tædia & moleſtias in geſtã- da prole. Vnde ſic arguitur: In Virginis partũ nihil de peccati lege manavit. Ipſam igitur communis illa peccati lex minimè comprehendit. Nam quòd pænas legis non ſit experta, ſatis declarat (quæ conjectura Patrum eſt) culpam etiam ipſam, quam gravis geſtatio prolis, & dolor in partu conſequitur, in ipſam non fuiſſe derivatam. Sic colligit, culpæq; Originalis immunitatem immunitati hujuſmodi pænæ adjungit Richardus Victorinus lib. 2. de Emmanuel. c. 28. ubi ait: *Quæ cauſa eſt quæve iuſtitia, ut remaneat in MARIA pœna, in qua nulla eſt culpa?* Sic & Cyprianus ſerm. de Nativit. inquiens: *Non ſuſtinebat iuſtitia, ut illud vas electionis* (Sic B. Virginem appellat) *communibus laſſaretur iniur is, quod plurimum ab aliis differens, naturâ communicabat, non culpâ.* Sic & Ildephonſus lib. de parturitione MARIÆ, ubi ſic aſſerit: *Gemitus & corruptio in partu fæminarum nonniſi ex delicto*

& ma-

& maledictione primæ Originis veniunt: at Beata Virgo nec dolorem sensit, nec corruptionem viscerum pertulit; quia quantum aliena fuit à culpa, in totum extranea à maledicto primæ damnationis. Hucusque Ildephonsus.

Argumentum XXXIII.

BEata Virgo à SS Patribus Reparatrix & Corredemptrix appellatur. nam (ut alios omittam) Bernardus sic ait: *Sicut Adam non solus fuit in nostra damnatione; ita nec Christus in nostra salvatione: sed Christus principaliter, MARIA minùs principaliter.* At si in ejus peccati, quod bonum creaturarũ statum evertit, consortium venisset, nõ esset reparationis causa, sed eversionis socia. non igitur in ejus peccati venit consortium.

Argumentum XXXIV.

DEus tantam gessit curam Corporis Virginei, ut & in partu intemeratum, & in morte [illegible] incorruptum. Ergo par est credere, quòd

majorem curam gesserit de mente & anima Virginis, ne illam peccatum ullum unquam temeraret, alioquin major haberetur ratio carnis, quam mentis: & Bonaventura in 3 d. 3. inquit: *Congruum fuit, ut Mater filij Dei sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne.*

Argumentum XXXV

BEata Virgo ante omnes Angelos & homines est prædestinata; ideoque ab Augustino & Petro Damiani dicitur Præelecta: ab Idiota Benedicta & præbenedicta: à Bernardino Senensi ante omnem creaturam in mente Dei præordinata. Ergo dignior erat, quæ præ omnibus à Deo primò nosceretur & diligeretur, uti & eligeretur. Sicut ideò Deus seipsum ante omnia alia contemplatur, quia omnium perfectissimus & optimus ipse. At si in instanti Conceptionis peccati labem traxit; quomodo Divinam voluntatem & amorem prima

ad ſe raperet, quam primò odiſſe ob labem illam oportuit? Imò ſic Angeli & Adam cum Eva in innocentia conditi, amorem Dei ad ſe primi raperent; quia ſine peccato, primo inſtanti ſuæ productionis fuerunt.

Item ſi Deipara ante omnes prædeſtinata etiã Angelos, imò ſi omnes alii propter B. Virginem ad gratiam & gloriam prædeſtinati, ut eximii Theologi probant: Nequit ergo ipſa non inſigniri juſtitiâ Originali. Nam abſurdum eſſet dicere, Angelos nobiliori electione à Deo prædeſtinatos & honeſtatos; cùm tamen, propter quod unumquodque tale, & ipſum magis.

Argumentum XXXVI.

EX parabola Evangelii de decem Virginibus acutè non nemo ſic arguit: Denarius in ſcriptura ad multitudinem notandam aſſumitur, ut pote numerus perfectus & completus; conſequenter decem Virgines

illæ univerſitatem hominum ſignificant ſalvandorum & damnandorum, prudentes & fatuæ. At Beata Virgo extra hunc numerum ponitur: quia omnes illæ decem Virgines exire dicuntur obviam Sponſo & Sponſæ, id eſt Chriſto & MARIÆ juxta Interpretes. Ergo extra omnium illarum ſortem eſt Beata Virgo. Atqui omnes illæ reæ fuerunt tum Originalis peccati, tum actualium. Ergo B. Virgo fuit extra hunc numerum ſic inquinatarum, ſed cum Chriſto computatur: *Exierunt obviam Sponſo & Sponſæ.* alioquin fruſtra extra omnes illas ſeorſim poneretur, nec vellet eam Euangelium inter omnes illas concludere; illas, inquam, omnes, de quib⁹ tum illud: *Omnes in Adam peccaverunt:* tum illud: *In multis offendimus omnes.*

Item B. Virgo ibidem non dicitur cum aliis oleũ comparare, per quod multi Patres intelligunt Miſericordiam Divinam, quam omnes homines ad peccatorum ſuorum, quæ contraxerunt

xerunt remedium quærere debent: Virgo autem Beata non eget miſericordiâ ſublevante ſic ex peccato; quia nullum contraxit. Inſuper non dicitur Sponſo occurrere, ut aliæ: quia ejus eſt obviam ire, quia diſſitus aliquando & averſus fuit. Sed quia B. Virginem nullum peccatum unquam à Deo ſeparavit, aut averſam fecit, jure non dicitur cum aliis obviam ire, ac occurrere Sponſo.

Argumentum XXXVII.

DVm Deipara dicitur benedicta inter mulieres, præponitur reliquis mulieribus. Ergo & Evæ nondũ maledictæ & gratiâ Originali adhuc præditæ. quid enim magnum eſſet, ſi Evæ poſt peccatũ maledictæ præponeretur illa, quæ (ut ait Ildephonſus ſupra) *in totum fuit extranea à maledicto Evæ*? Ergo ſi Eva ante maledictionẽ ſine peccato & cum gratia Originali; multò magis B. Virgo.

Argum. XXXVIII. XXXIX.

Ex S. Bonaventura.

APud hunc S. Doctorem in 3. d. cit. q. 2. sic habetur: *Quidam dicunt in Anima gloriosæ Virginis Gratiam sanctificantem prævenisse maculam peccati Originalis, tum ob auctoritatem Augustini & Anselmi: tum ob rationes, quarum prima est: Quia inter extrema convenit ponere medium. Sed convenit ponere habentes peccatum Originale in anima & carne, ut nos habemus! & nec in anima, nec in carne habere, ut est Christus. Ergo convenit aliquem hoc peccatum habere in carne (ut per concupiscentiam concepta) non in anima.* Secunda: Quia *decebat Animam gloriosissimæ Virginis excellentissimè sanctificari, non solùm quoad abundantiam sanctitatis, sed & quoad accelerationem temporis; tum propter Christi honorem, quem decuit de Matre Purissima concipi; tum ob singularem prærogativam Deiparæ, quæ debuit in sanctitate omnes superare (etiam anticipata) tum ob ordinis decorem, ut sicut fuit persona*

immu-

immunis ab Originali in carne & anima, sive in causa & effectu; & sicut dantur personæ utroque modo habentes Originale; sic etiam esset persona media, quæ haberet peccatum Originale in causa & in carne, non in effectu & anima. Hactenus Bonaventura Seraphicus.

Argumentum XL. XLI.

Ex S. Anselmo.

SIc ille arguit sermone de Excellẽtia Virginis. Primò: *Angelos, aliis peccantibus, à peccato servavit Deus; & Matrem suam futuram ab aliorum peccatis exsortem servare non potuit?*

Secundò: *In æternitate consilij eam dominatricem & Reginam fore Angelorum vidit; & nunc inferiorem Angelicâ gratiam illi datam, & in consortium conceptam esse credamus peccatorum? Existimet hoc, qui vult; ego donec ostendat mihi Dominus aliquid dignius excellentiæ Dominæ meæ posse dici; quæ dixi, dico: quæ scripsi, non muto.* Hactenus Sanctissimus Præsul.

Argumentum XLII.

BEata Virgo juxta eundem S. Anselmum *debuit eâ puritate nitere, quâ sub Deo maior nequit intelligi.* Sed negatâ Virgini puritate suæ Conceptionis; ejus puritas non esset talis, quâ major non. Nam hâc major esset puritas libera etiam ab Originali: item major esset puritas Angelica nullo unquam peccato, nec in prima sui Creatione temerata. Quod verò Virgo caruerit omni actuali peccato; id etiam est commune infantibus tempestivè raptis, vel perpetuò amentibus etiam adultis. Ergo

Argumentum XLIII.

Q*Visquis omnia illustria & gloriosa dixerit de B. Virgine, nusquam à veritatis scopo aberrabit,* ut ait Basilius Seleucus Orat. de Incarnat. Ergo & hi veritati consonant, qui gloriosè de [redacted]culata ejus Conceptione dicunt ac [redacted]ntiunt: nam & hoc *ad omnia illa illustria & gloriosa* attinet, ut nul-

nullâ parte ac instanti vitæ suæ non fuerit sancta: & nisi hoc etiam dicatur, nondum omnia illustria & gloriosa dicta sunt de illa, cùm & hoc illustre ac gloriosum sit, Deiq; Matri congruum.

Argumentũ XLIV & XLV.

Ex Augustini principiis.

INprimis hic Sanctus Doctor hanc Propositionem universalem ponit: lib. 3. de lib. arbitr c. 5. *Quidquid tibi verâ ratione melius occurrerit, id scias fecisse Deum bonum omnium conditorem.* Sed verâ ratione melius occurrit, Matrem Dei nullâ peccati etiam Originalis labe fuisse inquinatam. An enim vera ratio non docet, Matris habendam rationem, non tam ut erigatur post lapsum, quàm ut servetur à lapsu & interitu, cùm potest servari à filio? An non vera urget ratio, ut Mater Divina, puritate niteat, quâ par sit tantã filii tanti Matrem? Sciendũ igitur est, id fecisse Deum Matri

tri ſuæ, ut tantâ puritate niteret, & labe Originali non inquinaretur.

Idem Hipponenſis Antiſtes ſerm: 35. de Sanctis, B. Virginem ſic alloquitur: *De te, quidquid dixero, minor laus eſt quàm dignitas tua meretur.* Si ergo omnis laus Virginis eſt infra dignitatem illius; multò magis dedecus ejus animo adſcriptum inſperſumque ejuſdem dignitati derogat; quale eſt ſi dicatur, vel per unicum inſtans fuiſſe illam odii Divini objectum & in dæmonis mancipatu.

Argumentum XLVI. XLVII.

Ex S. Bonaventuræ principiis

MAjorem mundum poſſet facere Deus; majorem Matrem, quàm Matrem Dei facere non poteſt; inquit S. Bonaventura in ſpeculo cap: 8. Hîc vel tantùm exaggerat dignitatem Maternitatis penes dignitatem termini, vel penes inſitam Matri illi excellentiam. Si primum; nihil novi in laudem Virginis dicitur: quis enim

nim dubitat, quod non possit dignior gigni filius, quàm qui sit Deus? Si secundum; propositio non subsisteret; nam excellentia hujusmodi Matris major esset, si esset purior; adeoque ex duabus Matribus, quarum utraque esset vel conciperetur Mater Dei, sed una cum peccati labe concepta, & altera sine ulla unquam labe, ac ejus debito & priori purior; major esset hæc altera

Idem S. Doctor serm: 2. de Virgine MARIA, notabile encomium illi attribuit dicens: *In tantùm Deo proxima fuit, tantâque sanctitate resplenduit, & sic in summo bonorum omnium culmen obtinuit, ut Creatura aliqua non unita verbo nec perfectior, nec maioris boni capacior sit.* Subsumi jam facilè potest: At si peccato Originali subjacuisset, nec Deo proxima foret, quia hoc ipso à Deo aversa per peccatum ac remotissima: nec sola Creatura unita verbo sanctitatem illius superaret, sed etiam sine unione Hyppostatica major

jor eſſet Creatura, quæ inter pares gratias, nullius inſuper peccati labem nôſſet. Ergo dicendum omnino eam peccati Originalis labe caruiſſe.

Argum. XLVIII XLIX. L. LI.

Ex Doctore Angelico.

POnam hîc aliqua argumenta Sancti Thomæ ex 3. p. q 27 a 4. quibus probat à veniali etiam peccato actionis B. Virginem fuiſſe immunem: hæc enim magis probant eam fuiſſe immunem à culpa Originali.

Prima ratio S. Thomæ eſt hæc: *Virgo non eſſet idonea Mater Dei, ſi peccâſſet aliquando: quia honor parentis redundat in prolem* juxta proverb: 17. *Gloria filiorum Patres eorum.* Ergo nunquam peccavit. Sed hæc ratio magis urget de peccato Originali, ſi conferatur non tantùm Originale cum Veniali, ſed cum mortali: Quia peccata actionis etiam lethalia non ſunt per ſe nata, ut à parentibus ad filios tranſeant, ut Ezechielis 18. dicitur: Filius non

non portabit iniquitatem Patris: Originis verò peccatum redundat ad filios per generationem: quare cùm ex ſe ad transfuſionem natum ſit, ſi hoc in Virgine præfuiſſet, Filii gloriam magìs imminueret. Multò magìs idem argumentum S. Thomæ urget, ſi Originale peccatum cum Veniali conferatur. Si enim non eſſet idonea Mater Dei, ſi peccâſſet aliquando venialiter; quomodo idonea foret, ſi lethaliter peccâſſet Originali peccato.

Secunda ratio S. Thomæ eſt, quâ peccatum veniale à B. Virgine propulſatur: *Quia ſingularem habuit affinitatem ad Chriſtum, quia ab ea carnem accepit.* Dicitur enim 2. Cor. 6. *Quæ conventio Chriſto cum Belial?* Ergo in ea nullum fuit peccatũ. Hæc ratio magis arcet à B. Virgine Originalẽ noxam, ut patet per ſe conſideranti. Et inſuper notandum, quòd filius & Mater pro eadem perſona ha[redacted]ntur tũ lib: final: c. impub. Tum ex Ethic.

c. 8. ubi

c. 8. ubi filii à parentibus veluti alteri ipsi insperati dicuntur: tum quia filius dici debet imago & similitudo parentis genita juxta Augustinum. Sed peccatum Originale destruit hanc unitatem & similitudinem: peccatum enim hoc, ut supra ex Areopagita dictum, est habitus dissimilitudinis Dei ingenitus; & major dissimilitudo Dei per Originale, quàm per actuale veniale. Debuit ergo hoc abesse tantò magis à Beata Virgine.

Tertia ratio Sancti Thomæ est: *Quia singulari modo Dei filius, qui est Dei sapientia, in ipsa inhabitavit, non solum in animo, sed etiam in utero.* Dicitur autē sapient: 1. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* At si nō habitâsset incarnata Dei sapientia in Virgine peccato veniali unquam inquinata; quomodo habitâsset in inquinata longè fædiori Originali labe?

Quarta ratio ejusdem est: *Ideò*, inquit, *simpliciter fatendum est, quòd B. Vir-*

go nul-

ge nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale: ut sic in ea impleretur, quod dicitur Cant. 4. Tota pulchra es, & macula non est in te. Certè si ad pulchritudinem hanc complendam removenda fuit culpa etiam venialis; quomodo componetur eadem pulchritudo cum teterrima peccati Originalis labe? Ita conficit Catherinus lib: 3. de Conceptione Virginis: & locum hunc ex canticis adductum ad Immaculatam Virginis Conceptionem refert Richardus Victorinus, ut supra indicavi; & Galatinus lib. 7. de arcanis, c. 4. Item Alensis, Gerson, Cusanus Cardin. Bellarminus, Valētia, Barradius, Carthusianus, Suar: Vasquez, & alii.

Argumentum LII.

Ex principiis Doctoris Angelici.

ADhuc plura argumenta pro Immaculata Conceptione eruere placet ex principiis & dogmatibus Doctoris Angelici, quæ principia P.

Nicolaus Cichovius proponit.

Inprimis 3. p. q. 27. a. 2. dicit S Doctor, adducens verba illa Exodi ultimo: *Poſtquam cuncta perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonij. Ergo,* inquit, *Beata Virgo non fuit ſanctificata, niſi poſtquam cuncta eius perfecta ſunt, ſcilicet, Corpus & Anima.* Jam ſubſumitur: ſed in inſtanti Conceptionis ſeu unionis animæ cum corpore, cuncta hæc Deiparæ ſunt perfecta, ſcilicet corpus & anima. Ergo tunc eam implevit gloria Domini & ſanctificavit.

Argumentum LIII.

ALiud principium habetur 3. p q. 27. a. 5. ubi ſic ait Angelicus Doctor: *Quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere* (ponamus, principio omnis puritatis) *tantò magis participat effectum illius principij.* Hoc principio poſito ſubſumit S. Doctor: *Sed B. Virgo fuit propinquiſſima principio gratiæ*, id eſt, Chriſto (dicam ego), propinquiſſima fuit principio omnimodæ

modæ puritatis, nempe eidem Christo) *Ergo maximè participavit gratiam Christi* : dicam ego, puritatem omnimodam, adeòq; immunitatem ab omni macula etiam Originali.

Argumentum LIV.

ADhuc S. Thomas ſic argumentatur 3. p. q. 28. a. 1. ad 4. *virtus Divina cum ſit infinita, ut non eſt determinata ad unum effectum, ita non eſt determinata ad modum producendi quemcunque effectũ. Ergo ut virtute Divina fieri potuit, ut priùs homo de limo terræ formaretur, ita fieri potuit, ut Chriſtus de Virgine naſceretur.*

Inferemus nos ex eodẽ principio : Ergo ut virtute Divinâ, & gratiâ ex pura liberalitate Dei fluente potuêre primi homines creari in gratia, ita in eadem gratia per merita Chriſti obtentâ potuit concipi B. Virgo. Quia ergo (ut ſupra attulimus ex Auguſtino) quidquid nobis verâ ratione occurrit meliùs, hoc ſcire debemus fe-

 ciſſe

fecisse Deum; rationabiliter & id factum dicetur.

Argumentum LV.

IDem Doctor Angelicus 3. p q. 27. a. 1. ad 2. sic ait: *Deus potentiam suam non alligavit, quin aliquibus ex speciali privilegio gratiam conferre possit, antequam nascentur ex utero. Ergo eam contulit Deiparæ, antequam nasceretur ex utero.*

Hinc verò sic nos arguemus: Deus ex speciali privilegio gratiam conferre potest animæ in primo instanti unionis eius cum corpore, ut defacto contulit primis parentibus. Ergo eã contulit Deiparæ: nec enim potentiam suam alligavit, quin posset conferre. Vel aliter: Deus potest ex gratia Christi non tantùm peccata contracta remittere, sed à contrahendis præservare. (nam Concilium Milevitanum, ut refertur d. 5. de Consecratione c. placuit, sic habet: *Quicunque dixerit, gratiam Dei, quâ per IESUM Christum iustificamur, ad solam peccatorũ*

commissorum remissionem valere; non etiam in adiutorium, ne admittantur; anathema sit. Ergo à contrahendo Originali præservavit B. Virginem, non enim alligavit potentiam suam, quia id ex privilegio faceret. Vbi par modus argumentandi instituitur, quo hic utitur S. Thomas.

Argumentum LVI.

ADhuc illud assumitur, quod habet S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 12. *Sancti aliqui* (ait) *nati sunt sine labe Originali. Ergo & Deipara est sine labe ea nata:* Hinc verò nos sic supra etiam arguimus: Angeli & primi parentes in statu innocētiæ sunt cōditi & sine peccato. Ergo & B. Virgo in sua Conceptione sic est condita.

Argumentum LVII.

ADhuc sic idem Doctor discurrit 3. p. q. 31. a. 4. ad 3. *A Christo debuit abesse omnis immunditia. Ergo non debuit concipi ex femina concipiente cum libidine.* At inferri etiam poterit: Ergo non

non debuit concipi ex Virgine inquinata peccato Originali. Nam majus dedecus Filii Dei foret: concipi ex peccatrice & inimica unquam Dei, quam ex femina ſanctè & meritoriè ac ſine peccato connubio functa.

Argumentum LVIII.

IDem Doctor Angelicus 3. p. q. 34. a. 3. ſic diſcurrit: *Chriſtus perfectè ſanctificatus eſt, ut eſſet aliorum ſanctificator. Ergo non ſolùm habuit gratiam in primo inſtanti ſuæ Conceptionis, ſed in eodem meritus eſt.* Subſumatur jam cum eodem S. Doctore: *Atqui B. Virgo tantam gratiæ plenitudinem obtinuit, ut eſſet propinquiſſima Authori gratiæ, & eum pariendo, quodammodo gratiam derivaret ad omnes*, ut habet 3. p q. 27. a. 5. ad 1. Ergo & illa habuit gratiam in inſtanti ſuæ animationis.

Argumentum LIX.

QVod à debito proximo peccati Originalis immunis fuerit Beata Virgo, præter pleraque ſuperiùs

riùs allata, insuper id urget: Quia debitum hoc est effectus peccati, ac relationem dicit ad peccatum; & peccatum inducit inevitabiliter filius Adæ. Est igitur deforme per se, & Deiparam multùm dedecet Item debitum hoc habet servitutis turpitudinem, quæ B. Virginem Adamo ut capiti submittit, & sub mortis ac peccati dominio illam reponit. At ista servitus B. Virgini indecora: tum quia Maternitas Divina, ad quam fuit electa, illi obstringit libertatem ac ingenuitatem, adeò, ut etiam à servitute Christi quâ hominis, eam exemerit, qui à patria Virginis Matris potestate non eximitur: patria verò potestas jure natutali talem servitutem perimit: tum quia (ut in Syntagmatib. juris ait Petrus Gregorius l. 4. c 1.) *Vilius est, quidquid servit.* Et: *Quidquid servitutem aliquam patitur, non potest esse nobile*; quod absit ab Angelorum & rerum omnium Regina.

Præterea debitum illud proximũ

majorem indecentiã haberet in Matre Dei, quàm in reliquis hominibus: quò enim dignior est Deiparæ persona, eò servitus & macula fædior in ea apparet: & è contra, quò obscurior aliorum conditio, eò levior minusque indecora.

Argumentum LX.

Contra debitum proximum adhuc est: Quia si ideò fomes peccati in B. Virgine ab initio restinctus per communem sententiam, quia ex natura sua ad peccatum *materiale* inducit & peccatum suadet; omnibus autem indecorum visum est, Dei parentem aliquid habere invitans ad peccatum. Ergo multò magis debitum proximũ peccati ab illa arceri debet, quod ex natura sua cogit ad peccatum, & illius contrahendi necessitatem inducit. Quis enim neget turpius esse in B. Virgine adstruere tale cogens, si turpe est illud tantùm invitans? Hactenus argumenta à ratione. Sisto in

hoc illorum numero; quia & lectulũ Salomonis (qui Beatæ Virginis schema fuit) sexaginta fortes ambiunt. Cantic. 3.



§ III.

QVÆSTIONES aliquot

Piam sententiam de Immaculata Conceptione concernentes resolvuntur.

AD plenius elucidandum MARIANÆ, in sua Conceptione, gratiæ privilegiũ, supersunt aliquæ quæstiones hoc loco opportunè dissolvẽdæ. Nec enim parum momenti afferet ac lucis huic materiæ, earum clarior resolutio. Sit ergo

Quæstio I.

CVm Sacræ Scripturæ loquantur generaliter *Omnes in Adam peccâs-*

se. Et 1. Cor. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Et 2. Cor. 5. Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sũt: Quomodo ab Adæ peccato & morte hac animæ eximetur B. Virgo, salvo hoc Sacræ Scripturæ textu?

Respondeo primò sæpè generaliter loqui scripturam, tamen hinc aliquos eximi, nec in ea generalitate includi. Sic dicit scriptura *nasci nos omnes naturâ filios iræ, & quòd nec infans unius diei sit sine peccato:* item quod *in multis offendimus omnes: omnes student avaritiæ. Omnis homo mendax: septies cadit iustus*; & tamen de B. Virgine certum est; eam in his omnibus non includi: certum enim est eam esse natam in gratia, nõ filiam iræ; nec unquam actuali peccato offendisse Deum &c. Imò in Genesi, dictum: omnis caro corruperat viam suam; tamen Noe & filii ejus fuerunt justi, nec in ly, *omnis caro*, inclusi. Item generale est illud maledictum: *in dolore paries*; à quo tamen

B. Virgo exempta. Genericum & illud eſt: *Deum nemo vidit unquam &c.* tamen, quod in carne mortali Deum viderit Moyſes, & poſtea Paulus, docent plerique Interpretes. Idem de B. Virgine docet Rupertus, Divus Antonius, Bernard⁹ Bernardinus Senenſis, Albertus Magnus, S. Thomas de Villanova, Gerſon, Medina Carthuſianus, Suarez, Vaſquez.

Reſpondeo ſecundò ſumendas hujuſmodi generales ſententias in ſenſu accommodo, vel ſecundùm legem ordinariam, ac ſecluſo ſpeciali privilegio, quale hîc interveniſſe prædicta duobus § probant. *Confirmatur* reſponſio primò ex S. Auguſtino, qui ſerm. de Aſſumpt. ait: *Non immerito Virgo MARIA verâ æſtimatione à quibuſdam generalibus excipitur, quam tanta ſervat gratia, & attollit dignitatis prærogativa.*

Confirmatur ſecundò clariſſimè ex S. Anſelmo in Officio Nagerolis de Immac. Concept: lectione quartâ, ubi ſic habet: *Sanctus Paulus omnes homi-*

nes in Adam peccâsse fatetur : sed cum eminentiam gratiæ Dei in te, MARIA Virgo, considero ; sicut te non intra omnia, sed supra omnia, quæ facta sunt, ineffabili modo contueor ; ita & te non lege naturæ aliorum in tua conceptione devinctam esse opinor.

Confirmatur tertiò fortissimè : Quia Tridentinũ adducto Pauli textu, quo omnes homines damnat peccati Originalîs, expressè ab hoc decreto excipit B. Virginem dicens, *non esse suæ intentionis, in hoc decreto comprehẽdere immaculatam Virginem Dei Genitricem.*

Locus ergo scripturæ de omnibus, non est de omnibus nemine excepto; siquidem non vult Concilium ibi includi B. Virginem; uti & alii Pontifices, qui sub gravibus pænis prohibent Piæ sententiæ de Immaculata Conceptione inurere notam hæreseos; quam tamen non evaderet Pia sententia, si de fide esset, omnes ibi includi nemine excepto, consequenter nec B. Virgine. Nempe etiã huc illud quadrat, quod ab Assuero dictũ

Esthe-

Estheri: *Non pro te est lata hac lex, sed pro omnibus.* Pro omnibus enim lata lex excepit Estherem, uti hîc B Virginem.

Confirmatur quartò ex politicis: Nã ut quis excludatur à quacũque obligatione, sufficit, quod verisimile sit, eum non esse comprehẽsum à faciẽte obligationem. l. obligat ff. de pignoribus. Item, ut suprà monuimus, obligatione generali nunquam comprehenduntur res, per quas consulitur publicæ utilitati; ut est apud Gometium § item Serviana. Institut. de obligation. & action. Item Augusta simul cum Cæsare à legibus universalibus soluta est l. Princeps. ff. de legibus; & Reginæ dignitas communẽ subditorum legem ignorat, nec tam ab illa eximitur, quàm illam non ingreditur.

Quod verò ultimò dicebatur ex S. Paulo: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt;* ad id respondetur, alios dici mortuos formaliter, alios

alios virtualiter, quando ſcilicet obnoxii ſunt morti, & in præsēti ac certo periculo mortis, niſi illis extraordinariè ſuccurratur, ut ſuccurſum eſt Beatæ Virgini à Chriſto merente illi immunitatem à morte formali per peccatum Originale incurrenda.

Quæſtio II.

CVm aliqui è SS. Patribus adverſari videantur, Immaculatæ Cōceptionis ſententiæ, nimirū S. Thomas, Divus Antoninus Rupertus & quidā alii quid ad hoc Pia ſententia.

Reſpondeo primò aliquibus, ſeu aliquot, contrarium ſentientibus, plurimos ex omni pænè ſæculo à temporibus Apoſtolorum ſuperius § 1. à nobis eſſe oppoſitos.

Secunda illos, qui contrarium puritati Conceptionis Virgineæ aſſerūt, eſſe ſibi ipſis contrarios. Nam ſic in uno loco hac de re aſſeruerunt, ut alio loco oppoſitum & ex mente Piæ ſententiæ dixerint. Solent afferri loci ex

&ci ex Ruperto, S. Thoma, S. Bonaventura contrarii, ſed tamen hi clarè alibi aſſerunt Immaculatā Cōceptionem, ut patet ex textu eorum citato ſub § 1. Divum Antonium ajūt aliqui mutâſſe ſententiam apud Salazar cap. 42. de Concept. Bernardus clarè nobiſcum ſentit alibi.

Tertiò ſi nunc viverent illi Patres, & viderent ſic ab Eccleſia univerſali celebrari feſtum Cōceptionis, & per ſententiam Tridentini excipi à decreto de peccato Originali, & per Pontifices ita Piam ſententiam probari, indicto oppoſitis ſilentio; illi Patres idem cum Pia ſententia, & Eccleſia ſentirent in Piam ſententiā inclinata.

Quartò (quod bene advertat Lector) circa alia etiam dogmata, antequam vel definirentur, vel in unā aliquam partem inclinaret Eccleſia, oppoſitus olim fuit quorundam ſenſus, qui tamen non obfuit parti ab Eccleſia antepoſitæ. Oſtendo id per plures

plures instantias. 1. Tempore S. Cypriani lis fuit de rebaptizandis hæreticis. Cyprianus cum aliis Episcopis censuit rebaptizandos, antequam illi innotuisset contraria Ecclesiæ decisio. 2 Tempore S. Hieronymi non cōstabat ex Concilii generalis decreto de numero librorum Canonicorum; quare & Patres, & Hieronymus variè de hac re sēserūt. 3. Primis item sæculis magna fuit dubitatio de Origine animæ, putabaturq; in hac vita insolubilis ista quæstio, utrum anima ab Adam descendat? an singulis à Deo infundatur? actumque hac de re in pluribus Conciliis, nec definitum; donec tādem Leo IX. in explicatione fidei definiret Animam è nihilo creari & corpori infūdi. Quatuor Græci PP. Nazianzenus, Basilius, Chrysostomus docebant teste Cyrillo Alex. lib. 6. in Joann. c. 6. Angelos esse ante mundum conditos; tamen hanc sententiam damnavit Concilium Lateranense sub

se sub Innocentio III. c. 1. 5. Angelos esse corporeos plurimi Patres docuerunt, & à Pozza recensentur pro hac sententia Patres viginti tres; quæ sententia itidem damnata in Concilio Lateran. cap. Firmiter. de summa Trinitate. 6. Similiter Animas justorum ante resurrectionē non frui visione Dei docuerūt Patres ferè sexdecim; tamen postea definitum est contrarium. 7. Fuerunt Catholici Doctores, qui ante Concilium Tridentinum putârunt Sacramentū cōfirmationis & extremæ unctionis per Apostolos institutum, non à Christo, neque per Sacramentum Matrimonii, gratiam ministrari, ut videre licet apud Bonavent. Alensem & alios: quibus contrarium est Tridentinum. Ex quibus instantiis

Patet inprimis, non esse inconveniens, si aliqui Patres inclinârint in eam sententiam, quæ postea fuit condemnanda.

Patet præterea veritas illius asserti,

ti, quod in jure Canonico habetur cap. Ego solis. distinct. 9. ubi sic dicitur: Quantâlibet sanctitate doctrinâque polleant, non ideò verum puto, quia ita senserunt; seu ob solam auctoritatem: nempe si pro illorum sententia non sit tam probabile argumentum, ut pro alia parte. Hinc & Glossa in cap. Noli meis literis. dist. 15. c. ult. ait: scriptoribus non solùm omninò credendum, etsi Sancti sint; nisi quod scripserint, probaverint per Canonicas auctoritates.

Quintò (quod iterum attendas velim, doctissime lector) non obstantibus pluribus & gravibus Patrum testimoniis, quæ Beatæ Virgini actualē culpam imponebant, vel imponere videbantur; ut affert citatus Auctor textus aliquos ex Ambrosio, Beda, Richardo, Tertulliano, Theophylacto, Chrysostomo, Origene, Euthymio: Item non obstante sensu Patrū Concilii Milevitani cap. 6. & 8. ubi dicitur, neminem esse sine peccato;

tamen

tamen Concilium Tridentinum Seſſ. 6 can. 23. de Juſtificatione definivit, Beatam Virginē nullo unquam peccato etiam veniali peccâſſe. Ergo ſimili ratione non deberet obſtare aliquorum Patrum auctoritas Virginei Conceptûs ſanctitati, maximè in circumſtantia oppoſitæ auctoritatis Eccleſiæ in Piam ſententiam, ut dictum eſt, propendētis; & auctoritatis plurimorum aliorum Patrum eidem Piæ ſententiæ faventium. nempe ſi timeas lædere auctoritatem unius & alterius Sancti Patris oppoſiti; cur non timeas lædere auctoritatem ferè ſexaginta Patrum Piam ſententiam tenentium aut inſinuantium?

Quartò Reſpondetur ad quoſdam Patrum textus. Auguſtinus *carnem MARIÆ vocat carnem peccati*: Sed hîc ſignificat tantùm Virginem Beatam ex peccatoribus propagatam; ſeu habuiſſe carnem humanam non quæ ſit peccatrix, ſed quæ ex ratione cōmuni, peccati rea ſit. Sic etiam de car-

ne Christi ait Tertullianus c.16. *Hinc etiam confirmamus, eam fuisse Carnem in Christo, cuius natura est in homine peccati &c.* Et S. Ambrosius in Psalm. 118. inducit naturam humanam Filio Dei suadentem sic: *Suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est: suscipe me non ex Sara, sed ex MARIA.* Porrò Augustini sententiam Cõceptioni Immaculatæ cõformem suprà retulimus.

Adducitur ab adversis & Chrysostomus, sed immeritò. dũ enim Hom. 3. in Matth. ait: *Quamvis Christus non esset peccator, naturam tamen humanam, de peccatrice suscepit*: Loquitur ibi de Barsabea Vriæ, quæ ponitur in Genealogia Christi à Matthæo, ex qua Christus ortum habuit.

Quod si adhuc objciat aliquis Sãctos Patres, qui B. Virginem ajunt mundatam, purificatam, expiatam tempore Incarnationis. Nam Ildephonsus ait lib. de Virginit. & parturitione: *Quando Spiritus S. in eam advenit, totam defecavit à sordibus Virginem.* Et

Damaſcenus orat. 1. de dormitione Deiparæ ait: *Spiritus Sancti vis ſanctificans ſupervenit ac purgavit.* Et Ambroſius in Lucam inquit: *Spiritus Sanctus ſuperveniens in Virginem, mentem ipſius ab omni vitiorum ſorde caſtificavit.* Si, inquam, hæc quis obijciat, quæratque, quomodo ſorde non caruerit, quæ emundata dicitur? Ad id Reſpondetur inprimis, prædictis locis Patres non loqui de purgatione rigorosè acceptâ, quâ putent ſordis aliquid emaculatum in Virgine, quod pluribꝰ argumentis oſtenditur. *Primò*: Quia aliqui Patres dicunt non ſolùm animum, ſed & corpus Virginis à Spiritu Sancto depuratum; nefas autem eſt dicere, aliquid libidinis & immūditiæ unquam in corpore Virginis fuiſſe, quod purgatione indigeret. *Secundò*: Quia aliqui Patres Virginem etiam ab actualibus peccatis expurgatam ajunt, quod colligitur ex verbis prædictis Ambroſii, nefas autem eſt aſſerere, B. Virginē, aliqua propriæ acti-

actionis peccato sorduisse. *Tertiò*: Nonnulli ex Patribus Virginē à concupiscentiæ fomite mundatam asserunt; cum tamē verior sententia neget quidquam fomitis in Virgine unquam expurgabile fuisse. *Quartò*: Non sat firma hæc testimonia Patrū ad probandam in ea labem Originalis peccati. Nam dicti Patres purgationem & emundationem tempore incarnationis perfectam fuisse dicūt; & tamen Fides catholica docet, Virginem ante suam Nativitatem & ortum sanctificatam fuisse.

Respondetur præterea, Patres explicandos esse, sicut infra dicetur de Redemptione B. Virginis. Nempe ut is, qui redimitur non est necesse, ut culpam aliquam contraxerit; sed præstantissimam redemptionem esse illam, quæ præservat à culpa: sic ut quis emundari dicatur, non est necesse, ut sordes contraxerit emaculandas; sed optima & dignissima Purificatio est, quæ à sordibus defendit

ac præſervat. Sic & de Chriſti carne Ambroſius in epiſt. ad Roman. c. 8. ait: *Expiata eſt à ſpiritu Sancto Caro Domini, ut in tali corpore naſceretur, quale fuit Adæ ante peccatum.* Certè in Carne Chriſti ſordes expiandæ non præceſſerunt, tamen expiata dicitur, id eſt, ab omni piaculo & ſorde præſervata ac protecta. Sic ergo & de Virgine Patres accipe. Vnde & à S. Thoma 3. p. q. 32. a. 4. ad 1. *Dicitur Spiritus S. purgans Virginem, id eſt, præſervans.* Ita S. Thomas ſe ibi explicat. Quòd verò tempore Incarnationis dicant emundatam, intellige tunc Spiritûs Sancti gratiâ omnem æſtum & libidinis incendium abfuiſſe, unde ait Cyprianus ſerm. de Nativitate: *Spiritu Sancto obumbrante, incendium Originale extinctum eſt, id eſt, prohibitum;* Quatenus B. Virgo peccati Originalis effectus & reliquias in partu non ſenſit, ſcilicet libidinem, laborem, & dolorem.

Quæstio III.

QVomodo Beata Virgo dicetur eguiſſe Redemptore, aut redẽpta, ſi non incurrit maculam peccati Originalis? Præterea immunitas à debito proximo peccati Originalis ſi aſſeratur; quomodo habebitur hæc per Chriſtum, ſeu ex meritis Chriſti; adeòque, quomodo cum prædeſtinatione Chriſti cõponetur?

Porrò B. Virginem eſſe redẽptam, eſt de fide. immo Patres aſſerunt illã ſpecialiùs& principalius redemptam. Hinc Ambroſius ait: *Dominus redempturus mundum, operationem ſuam inchoavit à Matre; ut per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima ſalutis fructum hauriret ex pignore.* Et Bernardus ſerm. de Aſſumpt. ſic inquit: *Plus pro Virgine redimẽda is venit, quàm pro alia omni creatura*, juxta illud: *Vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa. Pro amore tuo carnem ſumpſi, & vulneribus primis vulnerâſti in cruce cor meum. Nam primogenita Redẽ-*

ptionis

ptionis Filij sui Virgo Beata. Magnificētiùs id exprimit Ildephonsus l. de Virginit. MARIÆ, sic eam alloquens: *Procido ante te, solum opus incarnationis Dei.* Quasi sola dignum esset negotium, inquo perficiendo infinitum redemptionis Christi pretium decorè sit impensum. Denique Bernardinus Senensis to. 4. serm. 8. de flammis amoris Dei ait: *Exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo: quasi dicat B. Virgo. Singularis Salvator meus. quia aliqui Doctores dicunt, quod Deus Assumpsit Carnem potiùs propter salvare Virginem singularem, quàm omnes alias creaturas.* Hæc Senensis. Esse ergo redemptam B. Virginē nemo dubitat.

Ad tertiam hanc Quæstionem quoad primam partem.

REspondetur Primò, B. Virginem fuisse redemptam modo redimēdi præstantissimo, quatenus præservata est à captivitate peccati, idque ex meritis Christi. Talis modo redimendi

mendi modus colligitur tum ex Augustino in Psalm: 85. ubi dicitur: *Vterq; indiget Medico, & qui infirmus est, ut infirmitas sanetur; & qui potest esse infirmus, ut in sanitate servetur.* Idem l: 2. Confessionum c. 7. ait: *Tuæ gratiæ deputo, & quæcunque non feci mala: omnia mihi dimissa fateor, & quæ sponte feci mala, & quæ te duce non feci.* Et Bernardus serm. 22. in Cantic. inquit: *Qui erexit hominem, dedit Sancto Angelo, ne laberetur: & hâc ratione fuit sæpè utrique Redemptor, solvens illum, & servans istum.* Cùm ergo Beata Virgo ex meritis Christi fuerit præservata à peccato Originali, alioquin ei obnoxia saltem remotè; meritò redempta speciali & præstantissimo modo dicitur.

Confirmatur hæc responsio ex S. Bonaventura, qui in 3. d. c. qu. 2. ait *quosdam habuisse viam, quâ ostenderent, Deiparam etsi à peccato Originali immunē quoad animam indiguisse gratiâ Redemptoris, & de facto redemptam fuisse, etsi aliter, quàm nos. Nam nos post casum erecti sumus;*

at Dei-

at Deipara in ipsa casu sustentata est, ne rueret. Hinc & Scotus d. 3. q. 1. ait: *Magis illa indiguit Mediatore praveniente peccatum, ne esset aliquando ab ipsa contrahendum.*

Respondetur secundò, Adam & Evam tantùm actuale peccatum habuisse, non Originale, nec debitum; tamen Adamum eundem cum Eva fuisse à Christo redemptum, quatenus ab actualibus expiatus cum sua conjuge. At verò Beata Virgo ab actualibus redempta est, & quidem excellentiùs, quatenus nunquam peccavit actualiter ex meritis Christi, excellentiùs autem est servare à lapsu, quàm post ruinam in statum restituere. Ergo & hinc dicetur redempta, & quidem specialiùs B. Virgo, adeòq; indiguisse Redemptore. Responsio tertia videatur § 1. ubi ex S. Thomæ sententia ille tantùm non indigere Redemptore dicitur, qui non est obnoxius peccato. Jam verò Beata Virgo absolutè obnoxietatem remotam

vi suæ

vi suæ propagationis habuit, nisi per gratiã Christi illi succursum fuisset, quâ & à peccato Originali, & à debito illius proximo est protecta ac præservata juxta illud, quod in oratione à Sixto IV. approbata dicitur: *Ut sicut ex morte Christi Filij tui prævisa, eam ab omni labe præservasti, &c.*

Ad tertiam Quæstionem quoad alteram partem.

R_Estat adhuc ostendere, quod volebat tertia objectio, quomodo immunitas MARIANA á debito proximo peccati Originalis sit ex meritis Christi, & cum prædestinatione Christi componatur? Ratio dubitandi est: Quia suppositâ sententiâ Sancti Thomæ conformi Sanctis Patrib[9], quòd Christus decretus sit in remedium peccati Originalis; in eo signo rationis, in quo intelligitur peccâsse Adam, non intelligitur decretus adhuc Christus, sed naturâ posteriùs, & post peccatum. Ergo in eo signo

non

non poteſt intelligi Chriſtus ut B. Virginis Redemptor, aut merens illi immunitatem à debito peccati proximo Quia antequam intelligitur Redemptor, & ſic merens; in priori ſigno Adamo peccante, intelliguntur ut poſteri peccâſſe, ita & Beata Virgo. Ad hanc difficultatem

Reſpondent variè Doctores. Primò Salazar ait in Adamum peccantem eorum tantùm trāſfuſas eſſe voluntates, quos Deus tunc determinatè futuros prævidit: non fuit autem (inquit) inter hos Beata Virgo *tunc*, quia ejus futuritio ſervabatur meritis Chriſti in altero ſigno decreti, & merētis exiſtētiam ſuæ Matris ac immunitatem. Sed contra hunc diſcurſum eſt: Quia negatio futuritionis B. Virginis pro eo inſtāti, inquo alii homines fore decreti ſunt, & excluſio ejuſdem Virginis à pacto & lege peccati fuit in hac ſententia Salazari, antequam Chriſtus eſſet decretus: quomodo ergo fuit excluſa tunc à

pacto

pacto & lege peccati propter Christum ? Deinde sic etiam posset dici redemptus Angelus, quem Deus nūc crearet intuitu Christi petentis illam creationem Angeli.

Respondent alii, quod Deus in pacto cum Adam initio de transfusione voluntatum, excluserit fæminam, quæ futura esset Mater Filii sui id ei merituri.

Respondent alii tertiò. Deum fecisse cum Adamo pactum de omnib⁹ ejus posteris etiam possibilibus, absolutè ; de B. Virgine tantùm conditionatè, si nimirum eam Christus non eligeret in suam Matrem.

Respondent alii quartò B. Virginem immunem à debito proximo fuisse per tale pactum Divinum, quo voluntas omnium transfusa fuit in voluntatē Adæ conditionatè ; & quidē virorum sub una conditione, si essent futuri : fæminarum sub gemina conditione, si nimirum essent futuræ & non eligerentur in Matrem Dei, ca-

ſu Incarnationis futuræ. Fuit ergo redempta à Chriſto, quia ex ejus meritis electa eſt in Dei Matrem, adeòq; libera à debito proximo peccati, non tamen à remoto & ab obnoxietate remota, obquam niſi eam elegiſſet, illa peccâſſet in Adamo.

Nempe per hoc Chriſti meritis adſcribitur tantùm quo ad modũ & circumſtantiam, Virginis immunitas; quatenus Chriſtus poſt ſuppoſitũ decretum Dei unquam & nulli fæminæ determinatè applicitum, meruit, ut determinatè applicaretur illa immunitas B. Virgini: Nam etſi etiam hoc admitti poſſit; tamen etiam quoad ſubſtantiam tribuitur Chriſti meritis dicta immunitas, vel inadæquatè, quatenus hæc immunitas cõſtituitur etiam per Maternitatem profluentẽ ex meritis Chriſti: vel etiam adæquatè, ſi concipiatur tale decretum Dei: Volo omnes poſteros incluſos eſſe in voluntate Adæ, niſi pro ſigno aliquo poſteriori mihi placuerit quoſdam

exime-

eximere vel ex meritis filii mei, si incarnabitur, vel ex alia causa.

Quæstio IV.

CVm soli Christo Domino propria immunitas à peccato etiam Originali videatur ex Patrum sententia; quomodo B. Virgo in ejus immunitatis consortium vocabitur, citra illius excellentiæ Christi extenuationem?

Certè Patres Christo proprium asserunt illam immunitatem. Nam Hilarius ab Augustino citatus l. 1. contra Julianum ait: *omnis Caro (exceptâ illâ, quæ sine peccato venit in similitudinem carnis peccati) sub peccati Origine & sub peccati lege nata est.* Et Origenes Hom. 7 in Leviticum inquit: *omnis homo in Patre & Matre pollutus est: Solus Dominus IESVS in hanc generationem mundus ingressus est.* Et Cyrillus Alexandrinus tractatu in Joannem sic scribit: *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei, id est, Christo, qui solus fuit sine peccato.* Denique,

que, ut alios omittam, Ambrosius in Lucam disertè inquit: *Solus per omnia ex natis de fœmina sanctus in Conceptione fuit Dominus IESVS, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus novitate non sensit.* En ut sãctitas hujusmodi, Christo propria soli, à Patribus clarè asseritur!

Sed respondetur non difficulter: plurima interesse inter sanctitatem & immunitatẽ Christi à peccato Originali, & inter immunitatem ac sanctitatem Conceptæ Virginis Matris. Primò: Quia Christus Dominus ex vi suæ Conceptionis & Originis, quatenus ex Virgine virtute Spiritûs Sancti conceptus est, à culpa liber & immunis extitit; quo jure nec Virgo ex mare & fæminâ concepta, nec ullus alius homo gaudebat. Vnde etsi unio Hypostatica liberum ab omni macula non redderet, sola talis procreationis ratio immunitatem ab Originali Christo Domino tribueret, & à debito proximo peccati ejusdem cõ-

trahendi; Cùm tamen huic debito obnoxiam remotè faceret Virginem naturalis & consueta generatio; nec vis Originis, sed gratia Christi præservans eidem Virgini immunitatem ab Originali labe tribueret.

Secundò: Adhuc plurimùm interest inter justitiam ac sãctitatem Christi concepti, & conceptæ in sanctitate Virginis: quia Christi naturalis est sanctitas: Virginis ex adoptione; & Christus jure suæ Conceptionis sine ulla etiã superaddita justitiâ sanctus & justus fuit, eò quod illum Divinitas ipsa in una Hypostasi Humanitati sociata sanctum redderet; unde ab Athanasio dicitur *sanctitatem simul cum natura suscepisse*: quorum nihil intervenit in prima sanctitate conceptæ Virginis. Patet ergo, quomodo soli Christo sanctitas Conceptionis tribuatur à Patribus, à nullo sic, nec à Virgine delibata seu participata; cum qua stat Virginis immunitas per gratiam præservantem, non sicut in

ſolo Chriſto per naturam & Originem.

Quæſtio V.

BEata Virgo communi hominum lege mortem obiit, quæ lex mortis, utique ex peccato Adæ profluxit, teſte Paulo dicente : *Per unum hominem peccatum introivit in mundum, & per peccatum mors.* Quomodo ergo Virgo non fuit ſub communi lege peccati, cujus pænam pertuliſſe noſcitur?

Reſpondetur primo, B Virginem communi naturæ lege ex cognatione Adami & Evæ mortem ſubijſſe; non quidem lege naturæ vitiatæ & corruptæ (omnes enim peccati leges Beata Virgo ignoravit) ſed naturæ ipſius jure, quæ ex conditione & conſtitutione ſua morti obnoxia eſt. Vbi notandum, mortem homini eſſe naturalem, quòd ipſi corruptionis ſemina natura ipſa inſeverit; adeòque etſi Adam non peccâſſet, homines tandē

aliquando mortem oppetiissent, nisi illis præstò adesset arbor vitæ, cujus esu vires & valetudinem in dies restaurarent. Si enim homini ante culpam naturale esset, nunquam emori; frustra esset arbor vitæ ad tuendam vitam attributa. Itaque cum Dei decretum morti hominem addixit, non naturam commutavit; sed vitæ servandæ diu illi remedium eripuit, juxta illud Genes. c. 3. *Ne forte sumat de ligno vitæ, & vivat in æternum.* Et hæc sunt apud Patres exploratissima ac Interpretes. Vide Augustinum de Genesi ad literam: & S. Thomam 1. p. q. 2.

Respondetur secundò ex S. Augustino, qui serm. de Assumpt. dicit, *eâdem lege Christum & B. Virginem mortuos fuisse.* ubi non loquitur de aliquo jure culpæ, sed de humanæ conditionis lege naturaliter in mortem propendente: Ait enim ibi Augustinus: *Memores conditionis humanæ, mortem subiisse illam* (id est, Virginem) *dicere non metui-*

metuimus, quam idem certè, eius Filius, qui & Deus & homo est, lege sortis humanæ sustinuit. At verò Damascenus ait Orat. 1. de dormitione Virginis: *Oportebat illud (immaculatum corpus) exutâ mortalitate incorruptionem induere, præsertim cùm ne ipse quidẽ naturæ Dominus mortis periculum facere recusârit.*

Respondetur tertiò, mortem & alia incommoda corporis tolerata à B Virgine, non fuisse pænam respectu illius, sed pænalitatem: sicut filii sine culpa sua interdum ob peccata parentum, privantur bonis.

Hactenus

Elucidatio Piæ De MARIANO Conceptu sententiæ. Restat, ut vota Libellum concludant, Libello congrua: Nempe ut tandem Ecclesia sẽtentiam, *quam solam doceri iam voluit, credi iubeat.* Si jusserit; (omnes dicto,

quod ſolum Pars Oppoſita expectatvit, Pia diu votis exambiit) habebit obſequentes.

Tu interim Divina Parens,

---*ſic Romæ oracula flecte*,

Vt dignam Te,

dignam Filio ſentẽtiã quàm primùm edicto ultimo conſignet

Annulus Piſcatoris.



EPISTOLA
S. Dionysii Areopagitæ
Ad S. Paulum Apostolū serm. 10.

Servus & novissimus unctus Dionysius
Electissimo Vasi, Cælico Paulo
Præceptori & Principi Salutem.

NOn credidi (confiteor) corā Deo, Princeps mi maximè, extra Deum summū & optimum esse, haberi etiam, nec ab hominibus posse percipi, quam ego oculis non tantùm mentis sed corporis vidi, perspexi, atq; propriis oculis intuitus sum Deiformem atq; supra omnes cælicos Spiritus Sanctissimam Matrem Christi IESV Domini nostri, quam mihi benignitas Dei, & clementia Salvatoris, & gloria Maiestatis Deiformis Virginis Matris eius. Quoniam cum à Ioanne, vertice Evangelij & Prophetarum, qui incorpore habitans, quasi sol fulget in cælo, ductus fui ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis, tantus me immensus Divinus splendor circumfulsit exterius, & plenius irradiavit

interius; tanta etiam in me omnium odoramentorum superabundavit fragrantia, ut nec corpus infelix, nec Spiritus posset totius ac tantæ felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, deficit Spiritus meus tantæ gloriæ maiestate oppressus. Testor qui aderat in Virgine Deum, si tua Divina mente concepta non me docuissent, hanc verum Deum esse credidissem: quoniam nulla videri posset maior gloria Beatorum, quam felicitas illa, quàm ego infelix nunc, tunc vere felicissimus degustavi. Gratias ago Summo atq; Optimo Deo, Divinæq; Virgini, & eminentissimo Apostolo Ioanni, & tibi Ecclesiæ vertici, atque Principi triumphanti, qui mihi talia clarissime & clementissimè, præstitistis.

Hanc Epistolam Carthusianus in 1. sent. dist. 16. q 2. è fide dignis à se relatam memorat; refert eandem Antonius Spinellus c. 5. num 57. & Adrianus Papa in 1. Epist. ad Carolum c. 36. meminit Epistolæ Dionysii Areopagitæ ad Joannem Apostolum.



PRIMA
A Pomo Adæ
ABSTINENTIA,
SEV
MARIANÆ
à prima H minum noxa
IMMVNITATI
Dicata Panegyris.



INter prima Adæ Bellaria, hodie tandem pulcherrimam famem non irrito indixit Præcox Gratia, Auditores. Annæ uterus Primæ Abstinentiæ theatrum fuit ubi, Mensam communem hujusmodi bellariis instructam, MARIÆ fastidia excepére. Ve-

tuit quidquam de illis edere Gratiæ plenitudo, ac beata quædam mentis saturitas: & suspectas fecerat Paradisi cupedias, serpentis vicinia, quæ illas halitu temerârat. Fames ergo placuit, & tolerata per unicum Primumque vitæ Instans Temperantia, cum qua tota Deitas illapsa, & digna Cæli munera in innocentem animum influxêre. Atque hic demum influxus, locum omnem geniali noxæ ademit, quæ vacuam Deo mentem subintrat. Ita ubi esca interitum, vitam infudit aluitque Abstinentia! Nescit sic famescere prima hominum gula, etsi Arborem tunc Scientiæ degustârit. Imò hæc Scientia primus hominum error fuit, nullusque desipuit magis, quàm cui hæc Scientiæ bellaria sapuère. Nec enim sapit, qui in lethali bolo totam se glutire Deitatem autumat; perinde ac si Deum ederet, qui culpam vorat. Nimirum inter gulæ consilia rarò profecit ingenium: nec perinde est mentem ventremque pascere. Atque hoc primum desipientis Mundi flagitium fuit: una hominem prostravit ingluvies, scelusque, & pedissequam sceleris mortem Arbor protulit, cùm primò aleret, ac Orbem in uno conviva præfocaret. Totus pænè in Cortice fuit sapor; sed medullam Pomi mors impleverat. Hic Mortem concepit uterus, ex quo non prius nata prodiit, quàm fracto Pomi cortice, extingueretur, Gratia, Homine præsepulto. Vt jam omninò à morsu illo Mors duxerit nomen, primamque Originem. Sic non in solos tunc fructus maturuerant arbusta, sed

in fata etiam; quantumvis propè cresceret Vitæ Lignum! Solus luem evadere poterat quisquis gulam imperio coërceret; cum tamē nullus non obsecundare genio, non per scelus exsaturari percuperet; adeoque vinci gulæ propudio mallet ignobilis Conviva. Ramus ergo in trophæum aruit de Temperantiæ victæ ludibrio, dum ementita Sapientiam arbos mendacio nominis, palato per oculos illusisset. Placuit enim Orbi Piaculare Pomum, veluti parasitos posceret Paradisus. At si pueriles cupediæ infamem gulam delinierant, satius fuit rapere silvam, quàm unius arbusculæ fætum: aut potior fuisset Vitæ, quam funestissima Arbor Mortis. Quanquam cum decerptos fructus oggereret virulentus dapifer; suffecerat, ne vel fames illos attingeret. Malè etenim nutriunt venena; nec fami rite consulunt edulia, quæ colubri afflatu vitiantur Pestem traherent vel salubria ab Acherontis culina!Placuêre nihilominus Mortis bellaria: quæ ne damnarent oculi, prohibuit color, sub quo fæda etiã quandoque pulchris antestant: ne genius eadem improbaret, suavitas effecit, quâ venena etiam temperantur, & virus dissimulant. Suasêre & effusa ab angue oracula, quasi & illud Pomum Imperiale & Regali Pomo augustius foret, sub quo laterent Divinitatis insignia. An enim virus etiam gustum terreret, quod Dijs insereret? Misera ambitio, quæ Divinitatis etiam contumeliâ, Dei titulum prensabat; illud præoptans Vocabulum, quod piaculo conculcarat: quasi

Deus

Deus esset, qui tantus heluo foret; aut jacturâ Virtutis, honos Nomenque Numinis conderetur: Hîc certe humana deliravit ratio, cùm ut Cælum, id est, Dei Solium occuparet, abliguriit Cœlum; adeòque sperata ambitiosè Divinitas, hominem Deo exuit. Nec satis unum delirâsse Caput; omne jam æquè desipit! Trahitur enim tot jam sæculis ferale id Ambitionis Convivium, & convivanti terrarum Orbi, ætatumque omnium gulæ unicum hucusque sufficit Pomum. Totum adhuc superest virus, nec minuit tot nepotum Saturitas, qui gulæ simul & ambitionis primatum cum Adam fuere mancipia, priusquam crimina internoscerent: rei antequã in supplicium maturesceret nimiùm præcox improbitas. Et unius quidem esu peracta omnium sagina, semperq; libari creditum, quod semel hic prælibavit; sed inexplebilis vorago pervetustam gulonum seriem minimè interrumpit, quin quodam veluti contagio serpat, olim è colubri commercio haustum intemperantiæ virus. Non sibi hîc temperat humana intemperies, etsi sola hoc communi alimento vorantur funera, & Pomum illud, Fenellæ Pomo dolosius, conficit potiùs Convivam, quàm reficit. Vna tu demum famem feliciùs pertulisti, Cælestis, quia tunc etiam terrenum morem prætergressa Virgo. MaturiùsTibi abstinentiæ leges præfixit Gratia, quæ virulentis illis dapibus, Te obnoxiam haud fineret, certiusque trahendæ Divinitatis omen offerret à jejunio, quàm à Piaculari Cibo. In primo igitur vitæ aditu,

aditu, quæ nondum hauſeras lucem; jam adamâras famem atque adeo rudimenta vivẽdi inſolens tibi condivit inedia. Neque enim tu illã orexim ſenſeras, cui venena ſaperent, ſed ſi tunc famelica fuiſti, non tamen mortis avida, quàm nutritiâ Gratiæ manu, cælum aleret toto Deo. Et alibi quidem ſequax æmulantium ardor, dum aliena premẽdo exprimit, in eamdem laudis incurrit metam; ſed tibi haud licuit prævià in parem temperantiam face ductorem ſubſequi, & præmonſtratum exemplo decus in animum imprimere; quòd nullus præiret, per cujus ires veſtigia; imò prima exemplum dares, quod nulla ſequeretur ætas. Nempe per exempla huc deducere haud quiſquam poterat, niſi ductricem Gratiam, cujus tu arbitrâ manu regebaris, cæli benevolentia obtuliſſet. Adhæc, grandia ſæpiùs exemplo carent; ne pretium illis deterat par uſus crebrior: vel quòd gloriæ ſolitudo, numeri ſolitudinem amet; ne dum ex abdito lucem profert, publicum ante in æmulos provocatum, illi auferat gratiam novitatis. Pulchriùs item eſt, prima eſſe inter exẽpla, & poſteros auctoritate provocare, ſi per eadem proferre laudem liceat. vel ſaltem raræ felicitatis admonere, ſi non liceat ulli, quod honorificum contigit ſoli. Porrò Tecum, ô Alumna Gratiæ, orta vitalis hæc fameſcendi ratio, nullius vel imitationem patitur, vel exemplum. Sola enim tu feræ poſt alios, primæ ante omnes abſtinentiæ genus iniiſti; tunc ſola cælum rapiens, cùm alij Pomum: Hæres Gratiæ,

cùm

cùm alii vindictæ: demum conſcia primævæ pulchritudinis, cùm eadem à nævo Principe, ludibrium in reliquis pateretur. Illuc igitur evaſit Tuarum laudum origo, quò nulla pertigit; ut nempe ultra cõmune decus abiit, quiſquis per præduces non eruditur paſſus ad laudum ardua, quæ præterit; nec prodromo eget, ut iter virtutis inſiſtat. Prodromi certè priorisque exempli ſpem abſtulerat vis primæ illecebræ, quàm arbor exeruit molli ad dulcia ſpectatore. Egit hæc & in poſteros, nec temporũ locorumque longinquitas exemit quemquam, quin mellitum virus ſugeret, fuitque ſimul omnium in Paradiſo gula, etſi non fuerit omniũ vita. Ita guſtulum Cæli inter arbuſta & feraces ærumnarum dapes amiſimus miſeri Convivæ, maluimuſque in delicato illo nemore prandere ſemel, quam convivari ſemper! Primi in illa temperantiæ arena victi oculi, dum vile obſonium colore bella gereret, ac pupillam primo lenocinio feriret. Vſque adeò nos picta debellârunt arma, licuitque tunc cuique noſtrum cõqueri: Vt vidi ut perii! Cæca quippe mortalitas ex coloribus decernit, dum rerum pretia rimatur, & in depicto cortice rudẽ defigit palpebram, etſi pulchra ſuperficies, peſtem ac dolum operiat. Fateor tamen, Paradiſo nativam loci gratiam affatim indulſiſſe, quo ſpectatoris oculo ſuavius blandiretur; ubi Apellis naturæ penicillus, vivacis picturæ ingenio nobilem ſcenam adumbrârat, & arborum partus mira diſcoloris Pomonæ fæcunditas diſtinxerat. Nihil

hil Hesperidum, nil Thebarum vel Semiramidis Pensiles Horti, nil Alcinoi vireta, nil artis topiariæ miracula, nil verna Thessaliæ Tempe, vel autumni Campana, aut Cretæ opulentia par exhibet. Elysios quia fabulæ celebrant hortos, hîc à fabulis vindicâsses. Nec nomen loci mẽtitum, in quod sese voluptas transfuderat; cùm fidem faceret peramæna rerum facies & nativa horti felicitas, mœrorque extra voluptuaria illa Tempe adhuc exularet, digna meliore incolâ & convivâ, non qui unico morsu totam abliguriret sylvam, unico mensæ paratu omnem fortunam decoqueret. Nam ubi sic viruit ramus, consenuit virtus, quàm gulæ voluptas emolliit, hortique gratiam labefecit. Arbor effronduerat, ad quam Draco pervigil, alibi caudâ, hîc ore & suadâ nocentior. Satis encomii tulerat arbor à fructuum pigmentis & frondiũ prædulci pondere; auxit encomia serpens, auxêre mendacia inter dolos disserta. Postea supplevit arbor eadem, quæ anguis, novus scilicet ab Orco declamator conscendit. Hîc ille suadere convivia, quæ unica daret planta, in posteros suffectura: Parùm illis tribui, si Arbor unica à mensis excipitur: Eam demum decere Convivas rationis capaces, quæ arbor esset Scientiæ: brutis alias communes esse, quibus totũ ingenium in ventrem defluxisset: aliarum esu homines tantùm; illa Deos ali gignique; nec tam fructuum hanc, quam Deorum fæcundam esse: ederent ergo, & Dii repentè fierent: inanes crederent mortis minas, ubi Divina im-

mortalitas cum cibo caperetur. Fixit Aculeum Oratio, maluitque rudis Auditor ſibilantem audire hydrum, quam tonantem molliùs adhuc Deum. Divinitatis capeſſendæ illicio guſtulũ ciere cæpit Arbuſcula, quæ peſtem colore tinxerat, & cùm venena liveât, ruborem illis per ferales pomi induvias ubertim inſperſerat. Credo, ut à Pomo verecundiam diſceret effrontis gulæ temeritas, quæ cùm in rami ſpolium involat, aliena inter ſpolia ruborem exuit, etſi pudorem comes piaculi verecundia imperâſſet. Tantam peſtem inter plantulas vitales aluit hortus, quo nullus in terris beatior! Potior ſanè inter illa pomaria fuiſſet Tantali pœna, quàm palati deliniendi copia, cùm tamẽ à penſili onuſtæ frondis munere manum nemo ſubduceret, imò tot eſſent paraſiti, quot necdum nati nepotes quibus jam tum male ſuada, quia malorum avida fames, remedium ſui ſuaſit poſcere à venenis. Reperit tamen perſonatus Coluber, cui ſuadela invitantis non imponeret; ſatiſque ad odium eſcæ contulit, Anguem pro ea perorâſſe. Et ſanè averſam aurem meruit mendax Oratio, & quæ verbis Hyblam infuderat, cùm fati acrimoniam mellitis dapibus miſcuiſſet. Quare cùm cæteros fædaſſet læſa vetito admorſu temperantia; Tu intactũ Mortis epulum reliquiſti, Virginum Hominumque ſolertiſſima. Ante manuum uſum, manum unica retraxiſti, famem conſecrans Principẽ, nec æmulam paſſuro Abſtinentiæ documẽto Quàm verò tunc plaudẽtium theatra Cælitum in vir-

tutis

rutis admirationem excivisti! ut in novos adegisti plausus Dei Regiam! Pulchra omninò Cælis gestiendi ratio, quòd steteris una, ubi ruerint omnes: quòd sola inediæ consilium admiseris, ubi mentem cibus abstulit universis: denique quòd datum id tuis, quod nullius primordiis, quæ cùm post plura sæcula gigneveris, ante omnia sapuisti. Et noveras (quis enim Gratiæ magisterio vel in utero non evadat eruditior cautiorque?) noveras, quæ arbori nocendi vis inesset, minis cælestibus circumscriptæ. Latere perniciem docuit vetantis esũ auctoritas; cùm ad mali conjecturam sufficiat, superos aliquid vetuisse. Edictis illi prohibent nocitura; & abditam luem detegunt, dum imperio cælesti præcavent. Quid enim salubre, quisquis autumet in Mensis Cæli testimonio morte illitis? Quis item Divinitatem à cibo speret, qui Deum in Crucem egit? Scilicet cibus idem apotheosi hominem consecraret; & pessundaret Deum; velletque plures, cum unũ tolleret. Equidem mensa hæc nil Divinum ingerit, quæ unitatem Deo abrogat; nec tam cælum reserat, quàm sepulchrum; & pro Numinis throno Sandapilam offert, ac feretrum à quo Joves quidem prodeant, sed eorum quilibet Jupiter Feretrius: Quisquis enim mẽsæ huic accubuit, mox occubuit; & cum manderet pomum, cicutam fatalem sorbuit; eademque malus taxum induit -- parentalemque cupressum. Tanti est, hortense illud ferculum, draconem ab Orco advenã temperâsse. Nihil stru-

ctor ille, nil Carptor in escaria lance apponit, quod non Mortis pabulum dicas; etiam dulcia lue condit, ac exitium inserit placituris. Meliore alimento dignandam censuit cælum Virginem, quæ Deum post aleret: ambrosiâ diviniore, non condito fatis pabulo nutriendam indolem, quæ Vitam partu cælibe mox effũderet. Malè à prælibato mortis pabulo auspicia vivẽdi duceret Vitæ Altrix. Non eget tam fatali obsonio, quæ orbem etiam tum excipere parat Pane Vitæ. Mortale quiddam in Pomo devoret; cui palatum desipit, & fatis proxima probat: haud - - est mortale, quod optat, quæ Horti Opificem præ horto colit. Ad hæc Orcus illum invitet, qui Cælo excluditur; aliter vescitur Cæli Augusta: aliter, quæ Deo sanguinẽ impertit, partuque consecrat, Deo consanguinea. Quid ori illi cum escis lethalibus, cui vitale Verbum tam familiare? quid cum Libitinaria planta, quæ immortalitatẽ, etsi in carne mortalem terris proferet? quid pestem glutiret, absumeret fata, quam beato nectare alit vitæ prælibatrix Gratia? quid ad hortensia melimela manum exporrigeret, quæ ipsa sibi vernans Hortulus, ipsa amænior nec bonorũ sterilis, ut ille malorum Paradisus? Oculatam reperit fraus desultoria, & tam eloquens dolus; docuitque, unam sapere potuisse, ubi omnes delirant. Non illam latuit astus, qui latuit: nec traxêre illicia, quæ universos inescârant. Nec pe viluit cibus, qui nihil præter colorem ostentans, mille pestes intus, ceu utero gerit;

Adhæc

Adhæc id obſonii genus vitam natum eſt corrũpere, non producere; at corruptelæ fomenta horret integritas; ſuaviorque illi fames, quàm quæ nitorem animi extinguunt: animũ obtruncant cupediæ. Dari alias Paris voluit aureum Pomum Pulcherrimæ; ſed hoc dare, creatæ Pulchritudinis Prodigio MARIÆ, melior de Cælo Paris vetat. Fædiſſimis id datur, non pulcherrimis; nec enim decus intimum tanta fæditas alit: Haud pulcherrima Deo, niſi quæ & Puriſſima. Nil ergo agis, ſtygie invitator: ſat gulæ hominum illuſiſti; una dolis tuis, una capiti inſultat, terris altior Virago. Pulcherrimam formârunt non tres, ſed mille Gratiæ; hinc jam vileſcit illi hoc viſu pulchrum, delectabile guſtu aſpectuque, quod arbor fatalis protulit, tu decerptum objicis. Non bene venuſtati conſulit, per quod allinitur animæ Orci fuligo. Deformat, quod in ſtygis mancipium transformat. Id verò præſtat edulium, quod faſtidienti oggeris. Delet quippe ceruſſam, quam innocentiæ candor animo impreſſit; nec ſanguinem venis infundit, ſed exprimit, dũ in Golgothæ lethali colle, Virginis Filium cruentat. Viciſſes, ſi victricem Gratiam, ſi nutritiam Verbi Parentem vincere, aut conflare verbo dedecus licuiſſet. Eſt contra ſerpentes, præter Herculis cunas manuſve, Planta Virginis: eſt contra Pomi venena, Soſpitatrix Abſtinentia. Nec famem pertimeſcit, quæ Deo plena, cautiorque extitit, quàm ut ſeſe primo guloni commiſerit, ſeu in Adæ voracis gulam, fa-

mem ſuam transfuderit. Fortior fuit illa, quàm ut eam arbuſcula expugnaret, fames ſubigeret. At nimis imbellis eſt Virtus, quæ tuta timet; hîc vero fames tutiſſima, Temperantia certa triumphi. Quod ſi per univerſos abiit cum illecebra, eſcæ virus; an uni tandem Virgini, per Cæli benevolentiam, fames cautior haud ineſſet? Si arbor cæleſti oraculo traducta; an non unius ſaltem fides oracula excepiſſet? Si minarum fulmine interdicta comeſſatio; an vel ſerum fulmen gulà? denimel non perhorreſceret id fulmen gulà? denique ſi pictus naturæ minio cortex peſtem occuſit, quam arroſus prodidit; an unius oculatior Virtus imposturam non diſcerneret? Fecerat perſpicacem Gratia, quæ priùs MARIANAM pervaſit mentem, quàm temerare tentaret intẽperantia palatum. Excludit hæc à ſui conſortio pares animi nævos, nec in eodem loco patitur geniale pomum, quò infert Deum. Vicit ergo Abſtinentia, & capiti Obſonatoris tragici plantam impreſſit triumphalem. Abijt eluſus tanto inediæ prodigio doli artifex, & inter poma eliſo Capite, de feralis convivii repulſa indoluit. Felix quidem alibi hic eſcarius impoſtor, & appenſis Innocentiæ ſpoliis, ubique Pomo triumphat; ſed hanc unicam victricem adorare cogitur, cui prima fuerit Virtus ſic fuiſſe temperantem, ut antea nemo, poſtea nulla: prima illi in exortu gloria, in Paradiſo nil ediſſe. Vna igitur nobile trophæũ meruit, quale nulli ante defixit Orbis, cùm de Pomo omnium victore prima omnium & unica triumphavit.

P. C. Observandissime Pater

Przybywszy tu wte kraie z Ruskich przypomi
nam Sobie dulcissimam quondam conve
sationem cum Pte Vrá w Piotrkowie, Oraz
mam Sobie pro summo solatio że mi

6

